MELANTHE

Fabula pastoralis acta

cum

IACOBVS
Magnæ Brit. Franc. & Hiberniæ
REX,

Cantabrigiam suam nuper inviseret, ibi-
demq; Musarum, atque eius animi gratiâ dies
quinque Commoraretur.

EGERVNT
ALVMNI COLL. SAN. ET INDIVIDVÆ
TRINITATIS.


CANTABRIGIÆ.

Excudebat CANTRELLVS LEGGE.
Mart. 27. 1615.

Dramatis personæ.

PALEMON	*Summus sacerdos Dianæ.*
SERRANVS / MONTANVS	*Inferiores sacerdotes.*
MELANTHE	*Nympha, Alcini amasia.*
ALCINVS	*Pastor, adolescens, amator Melanthes.*
ALTEVS	*Pastor senex, pater Melidori creditus.*
MELIDORVS	*Pastor adolescens, amator Sylveriæ.*
SYLVERIA	*Nympha, amica Melidori.*
NICANDER	*Pastor adolescens subrusticior, amator Ermillæ.*
ERMILLA	*Nympha lepida.*
GLAVCVS	*Satyrus senex.*
LEONISCVS	*Satyrus iuvenis Glauci filius.*
CERVINVS	*Satyrus iuvenis.*
ECCHO.	
CHORVS	*Sacerdotum. Pastorum. Satyrorum.*

Scæna in Arcadia.



ACTVS PRIMVS. SCENA PRIMA.

MELIDORVS *sub arbore decumbens,*
& cubito innixus.



Vntne hæ veræ tenebræ? an adhuc dormio?
Aut vix admittunt lucem Auroræ dubiam
Ocelli somno graues? Veras agnosco tenebras.
En Stellæ diem repellunt; ecce Orionis baltheum:
En pugionem; en iratum Tauri oculum:
En (instar Amoris mei) pugnam perpetem,
Quam nulla sequitur victoria. Noctis aliquid superest;
Nam grauiores oculi somnum repetere gestiunt:
Et sanè repetant: siquidem in Sylueriâ meâ
Multa mihi somnianti dantur, quæ negantur vigili.
At, eheu! quàm fallax illi gaudium, quàm verus dolor;
Qui somnians fœlix est, & miser vigil!

SCENA SECVNDA.

SYLVERIA.
O clari cœlorum oculi, sydera lucentia!
Qui terram hanc multiplici conspicitis acie;
Dicite aliquis vbi meus Melidorus latet.
Et citò dicite: nam mox diem Phosphorus
Reducet, & vos excæcabit luce nimiâ.
Non illum alienus torus, aut furtiua Venus
Suis avocauit laribus, quippe Melidoro meo
Castus liliorum candor inest in pectore,
Et in vultu roseus pudor. Sed aut fuluus leo,
Aut frendens Aper, aut extricans parum tenacibus
Ceruus plagis illum à suis ædibus abduxit procul.

SCENA. 3.

MELIDORVS, SYLVERIA.

M. Vhum humma hah. S. Quæ vox, aut cuia prope me sonat?
M. Ah Cupido! hum-- S. Certè hæc vox Melidorum sonat.
Ab illâ emicuit arbore. Atq; ô Diana! ipsus est.
M. O mellita labia! genas roseas! S. Quid hoc?
An dormiens garrit? Quid ni, qui somnians loquatur, audiam?
M. O Deorum maxime Cupido! S. Hah. M. Captus sum fateor.
Nam quid non valent oculorum Sol, genarum rosæ,
Labiorum cerasa, cervicis nix, & reliquæ
E tuâ pharetrâ sagittæ? S. O Diana! quid audio?
M. At tu nympha mitiusculè tuum Melidorum respice.
S. Quid hoc est? M. Melidorum miserum respice, respice. hum! a.
S. Solent interrogati respondere, qui loquuntur in somnijs.
M. Nympha. S. Quid ais? M. Ne sic frigescas, obsecro.
Cur non succenderis ipsa, quæ accendis alios?
An vt Solem formâ, sic virtute referre placet,
Qui cùm calfaciat alia, perstat incalidus? hummah.
Ego amo. S. Quam amas? M. Nympham formosissimam.
S. Qualem? M. sed, heu! castissimam. S. Quænam illi patria?
M. Arcadia. S. Nomen quod? M. Non audeo proloqui.
S. Melidore Melidore. M. Hum. ah, O Sylveria Sylveria. hum.
Quis me expergefecit? An iam dies est: iam Lucifer
Coegit, & inclusit omne sydereum pecus,
Idem insecuturus ipse. Sed an satis vigilo? hum. ah.
S. Quid agitur Melidore? quid est? an amas?
M. Quid ni amem? S. Ecquid es voti memor?
Ecquid mei? M. Apage à me votorum vincula.
Miserior nulla est, quàm quæ votorum seruitus:
Liber esse volo. At quis tu? quemnam video?
O Sylveria! quem hunc dicam esse locum? aut vnde venis?
S. Phæbi planitiem dicas. A meis ædibus, te quæsitum venio.
Sed vnde tu? M. Ab hesternâ venatione. S. An sub hâc arbore,
Noctem hanc edormijsti? M. Partem maximam.
S. Tam propè à casulis nostris? M. Adegit multa nox;
Et, postquam socij abscesserant, exortæ nebulæ.
S. Sed quorsum insalutatâ me diem integrum aberas?
M. Ad fontem Cynthiæ in aurorâ, nescio quid sacrorum meditans,
In venatorum commilitium incidi, vbi me venandi studium
Longius inconsultum rapuit, (Ignoscas) & raptum tenuit.

S. Ignoscas!

Ignoscas! sunt alia, in quibus tibi ignoscam ægrius.
Alia! Quænam alia? *S*. Vnde tu Amator factus es?
Amator Ego? Quis dixit? *S*. Qui nouit optimè.
Quis? *S*. Ipse tu. *M*. Qui potui dormiens?
At potuisti somnians. *M*. At dormit, quisquis somniat.
At dormiens vigilat, quisquis per insomnia
Sensa mentis aperit. *M*. An ego somnians
Mentem aperui? *S*. Planissimè. *M*. An verba feci dormiens?
Plurima. *M*. Quæ? *S*. Cervicem niveam, genas roseas,
Cœlestes oculos, & consimilia pueri sagittiferi prodigia,
Quæ gens amatorum futilis effutire soles,
Quæq; Melidorum haud decent. *M*. An somnijs quicquam habes
Fidei? *S*. In somnijs mens fuco caret. *M*. At errore non caret.
In somnijs simplices animi fluunt imagines.
Quin potiùs turbidæ, & vanæ finguntur species.
Quorsum abnuis? quid orationes, & causas paras?
Hęc haud insontem arguunt. O Melidore mi:
Pueritiam quam primam exegimus, ætas & vicinitas,
Et par venandi studium notitiam, & beneuolentiam
Inter nos conciliârat mutuam. Ego tibi charior,
Tuq; mihi præ cæteris visus es præstantior,
Rogasti, vt te amarem, annuebam: sed lege non aliâ,
Quàm vt nihil à me peteres vnquam prætereà,
Quod soror, aut mater dare non posset tibi.
Conditio placuit, & legem hanc iureiurando firmauimus.
Inde (quod sciam) ad hoc ætatis integrè viximus.
Votumq; quod Dianæ nuncupauimus, inviolatum manet.
Amorem fugimus; Amicitiam vsq; in miraculum
Sanctè coluimus. Susurros leves, & horas amantium
Compositas, Laudes item, & querelas, Oculorum eloquium,
Et suspiriorum appetitum miserum prudentes risimus;
Nunc insipientes facti ne sectemur. Quid taces? Quid stupes?
Quid non stupescam Sylueria, quem sontem arguunt
Oratio simul, & silentium? Cui non tutum fuerit,
Somniasse? An dormienti credis magis, quàm vigilanti mihi?
Vellem vigilanti quidem, sed metus, & dilectio tui
Me non fidentem faciunt. De te tam castitatis gloria,
Quàm amoris perridicula leuitas timere me iubet.
Castitas aliud inexpugnabilis esse, & solis non amantibus
Amor ridendus perhibetur. *S*. Melidore, time tui?

M. Non ego; ſed vulgus. *S.* Id vulgus curet ſcilicet.
At Alcinum ecce Melanthes amatorem. Quàm prodit miſerè?
En ſtatum hominis homine indignum. Amor ſi placet,
Inde diſcas amare. Eamus, eamus: plagas, & canes,
Et ſpicula comparemus. Quantum præſtat, quàm ſic capi,
Feras capere? *M.* Serranus ſacerdos Delphis heri rediijt
Non erit igitur hodiè venatio. Sed ab Alcino quæram. *S.* licet.
M. Vbi te conveniam poſteà? *S.* Paternis in ædibus: vale.
M. Vitæ meæ fœlicitas, atq; infœlicitas vale.

SCENA. 4.

ALCINVS MELIDORVS.

A. Ecquis hodiè me viuit infœlicior? *M.* Melidorus tuus.
A. Abſit. Ignoras, quàm lentis cor meum maceretur ignibus.
M. Egon' id ignorem, de quo nobis ſermo ſæpiùs?
A. Noſti fortaſſe me Melanthen, & Melanthen amare me;
Et patrem eius Palemona noſtris adverſari nuptijs;
Et, quia modica mihi res, nuptias ditiores quærere;
Atq; mihi filiæ ſuæ conſortio, & colloquio interdicere;
Sed his omnibus alia iam acceſſit maior infœlicitas,
Quam te non noſſe ſcio. *M.* Num ſcire mihi licet?
A. Licet, Nam fortè huic malo mederi poteris. *M.* Dic igitur.
Vt leuemus, non vt ſciamus tantùm, amicorum mala
Sunt addiſcenda. *A.* Poſtquàm triſtis hæc cœli *Siccitas*
Omnia ferè corruperat, & in vere autumnum induxerat,
Quod liuentes vbiq; teſtantur arbores, & flauentia gramina;
Cumq; peſtis hęc (quâ nulla paſtoribus grauior) indies invaleſceret;
Vt conſuleretur Apollinis oraculum à primoribus Arcadiæ
Deliberatum, & ſtatutum eſt. Serranus Dianæ æditu us
Delphos propterea mittitur, qui ſub noctem heri
Reſponſa Dei retulit. *M.* Cur exordiris ab his mihi notiſſimis?
Nam Serranus rediens inter venandum heri, in via
Conſpectus eſt mihi. *A.* Sine me. Is mihi à puero
Familiaris vsq; fuit, & meorum nuper amorum conſcius.
Hodiè ergo ſummo mane (quia me ſpectabat) Oraculi
Reſponſum ad me detulit. *M.* An te ſpectat oraculum?
A. Hoc modo me. Delphis duo præcipuè ſciſcitanda erant,
Siccitatis huius *Cauſa* ſcilicet, & *Exitum* ad quæ deus
Reſpondit vtraq; ſeorſim tali carmine.

SIC [illegible] *eſt Tellidis* [illegible]
Nobilis indigina ſponſa [illegible]

 Hoc

Hoc modo *Causam* aperuit, at his versiculis occultauit *Exitum.*

IMBrem terra bibet de Cœlo, quando redibunt
In vitam vitâ qui caruere sua.

His auditis *Palemon Flamen* & summus sacerdos Cynthiæ,
Et *Melanthes* pater inuenustus indicto comitio,
Sacerdotum, & pastorum primorum, huius mali
Causam promittit se sublaturum funditùs:
Nempe (quod *Palemon* olim expetiuit impendiò)
Melanthen filiam suam vnicam, (quam ius, & hæreditas
Sacerdotij, legibus Arcadiæ sequitur) *Aristij*
Nicandro dandam in vxorem censet, quia
Præpollet opibus, atque ei affinitate coniunctus est.
His argumentis *Nicandrum* dignum deputans,
Qui sacerdotio succedat. *M.* Illum vecordem! fatuum!
Nicandrum illum! Ille vt in Sacerdotio succederet!
A. Quid non valent diuitiæ? stultos sapientes faciunt:
Palemon eius vecordiam, quietem; & stultitiam,
Probitatem vocat, & sacerdotalem innocentiam.
M. An ergo syluas invasit auaritia? *A.* Imò syluarum antistites.
M. At quid de *Siccitatis* huius exitu speratur? hic nodus oraculi
Quo cuneo soluitur? *A.* Hîc hærent animi ancipites.
Et (quod in occultis Deûm immortalium sententijs vnicum
Mortalibus est perfugium) ad preces & sacrificia fugiunt.
Proin, hodiè supplicationes, & vota solennia
Decernuntur; tum vt populo promulgetur oraculi sententia;
Tum vt finem huic malo Dij dent, sperare quem nesciunt
Mortales miseri. Nam quando fiet, quod non priùs
Futurum, quam *reuiscant mortui*? *M.* Sortem hîc Arcadiæ
Lugere quàm liberet, nisi scire cuperem, tuâ quid referat
Delphicum hoc responsum. *A.* Si *Nicandro* detur hodiè
Melanthe, me postremùm vides. *M.* Quid ego ne detur faciam?
A. Ad *Melanthen* eas, meisq; illam precibus roges,
Vt dum sacra peragantur, huc se recipiat
E Templo, vt extremi mihi cum eâ copiam colloquij faciat.
Tu id tutò potes *Melidore*: atque amicis, ac in amoribus
Opitulari, æquum perinde, vel honestum nihil.
M. Sentio, sentio: ad hunc locum? *A.* Ipsissimum: ores modò,
Non metuo vt veniat: nisi si (quod in virgine
Rarissimum) patris in illâ charitas sit amore flagrantior.
M. Faciam. *A.* Facies amice charissime? *M.* Faciam sedulò.

A. Ah *Melidore*, quando eueniet occasio, vt tuis subseruiam
Amoribus? Quid taces? huius amoris mei te pudet:
At quod Amori non debes, debes amicitiæ: rumpe hoc silentium.
An facies? *M.* Faciam. Aeger qui veni, medicus abeo.
A. Aegerne tu? *M.* Aegerrimus; atque omnium certè miserrimus.
A. Quo morbo? *M.* Eodem quo tu. *A.* Eodem! *M.* Maximè.
A. An tu eodem, quo Ego? *M.* Eodem planissimè.
A. At dic mihi: an eodem tu? *M.* An tu solus es,
Qui ames? *A.* Sum. *Melanthen* meo nomine ne adeas;
Perquam ille infidus est amorum internuntius,
Qui idem & amator est. *M.* Annon licet amare mihi?
A. Non licet. M. Licet. *A.* Non licet. *M.* *Alcine* quid agis?
A. Ne *Melanthen* ames, id ago. *M.* Si id agis, non amo:
Nec eodem morbo, quo tu, pereo: pectus hoc aliâ
Comburitur febre. *A.* Quâ? quâ *Melidore*? Expedi.
M. *Sylverianâ.* *A.* Seruasti me, Des obsecro amanti veniam.
Te metui riualem: At quis riualem cordatus ferret Iouem?
M. Meamne fidem tam citò? *A.* Amanti indulgeas, atque aliò
Sermonem ducamus. *M.* Tam citò? *A.* Ignoscas. An *Slyveria*
Ex amicâ amasia facta tibi? *M.* Vtinam fieret!
Sed ego qui amicus olim, iam factus amator pereo.
A. Tune? qui amorem fugisti, & risisti nuperrimè?
M. Risi: sed meo malo. Amorem impunè nemo riserit.
Peccaui largitèr-- *A.* Aù satis est: dabitur venia: dic potiùs,
Quomodo ex perduelli, factus es Amori subditus.
M. Tam tenues, & leues causas referre me piget.
A. Ne pigeat. Principia paruis debent magna ferè omnia.
M. Oihime!--- *A.* Aliò migremus, aut hanc tempus in aliud
Differamus historiam: Viden' vbi *Ermilla* læta exiluit;
Nollem illam me videre; molesta semper est, & infesta mihi.
M. Quapropter? *A.* Dicam alibi; nunc ignoscas obsecro.
M. Facilè. Ego ad *Melanthen* tuam ibo: post exactam horulam
Hic me expectes. *A.* Cum veniâ licerne abire? *M.* Licet.
Sic mutuis amicorum amicos decet inseruire commodis.

SCENA. 5.

ERMILLA. NICANDER.

E. Hahahe. *Nicander* vbi es? Sohohow.* tam procul abes?
Hàc hàc, si quid me vis, sequere: Sohohow. quàm tardus es?
Auh tandem! *N.* Sic manibus ligatis per vepres, & spinas
Qui potui citiùs? *E.* Nunc me osculare *Nicandrille* mi.

Ingreditur *Ermilla* festi-cam cultro parans, & eo suo permel-lans.
*Sohohow, intus.

Tu

Tu totus es in oſculis: quia me robuſtior es, oſcula
Perextorques invitæ mihi. Nunc autem reſponde mihi;
Quid me vis mea pruina? *N. Ermilla* ſiccine vſq; tu mihi?
Niſi me fugeres, & ſic luderes, non extorquerem oſcula.
In vindictam de nequitijs tuis oſcula diripio.
Sed iam quantum te amem vides, qui manus mihi
Ligari paſſus ſum, vt fidei te meæ committeres audaciùs.
Nam graue quiddam eſt, quod tibi geſtio dicere.
E. Graue, piſh, graue! Quid illud eſt, ſi dijs placet, graue!
Nam tu miræ grauitatis homo es: graue! hahahe, graue.
N. Amorem dijudices, dum hæc, tanquam aſinus, omnia perpetior.
Sed ſi ſolutæ erent manus, Ego te, nequiſſima,
Centies ob iſthæc oſcularer, nequiſſima, belliſſima, nequiſſima.
E. Experire quid poſſis ad oſcula, iam ligatis manibus,
An ſi deeſſent manus te oſculaturum poſteà,
Nulla vnquam ſpes eſſet? En me paratam accedito.
N. Tene ſis. *E.* Id neutiquàm tamen age: ne ſic: ne ſic etiam?
Quàm tu es ineptus ad oſcula? ſlip. *N.* Oh, an iterum? Oh!
Perit maxilla mihi. *E.* hahahe, ſlip: *N.* Quid an amanti alapas?
E. Alapaſne vocas amoris ſigna lepidiſſima? ſlip. *N.* Oh!
E. An non licet tibi permulcere genas, vredo mea? ſlipp.
N. Oh! *E.* mi december, ſlipp. *N.* oh. *E.* meum gelu, ſlipp.
N. Oh. Abſcede longiùs; aut ego te calcibus proturbabo ad inferos.
E. An procalcitrat aſinus? euh! In quam partem vis procumbere?
N. O *Ermilla* dulciſſima, mitte pedem, quæſo; obſecro.
E. Vide quàm te amem? Remitto. Vin redeamus in gratiam?
N. Libentiſſimè. Des ergo baſium gratiæ ſymbolum
Redintegratæ. *E.* Non eſt operæpretium. Nunquid nobis non licet
Sine oſculis amicis eſſe? *N.* Licet, fateor; ſed cum oſculis
Fiet meliùs. Sin mihi aurium operam *Ermilla* dederis,
Vt intelligas, quâ de re te tam ſolicitè quæſiuerim hodiè;
Sperarem te mihi baſia nunquam negaturum poſteà.
E. Dabitur opera: quid eſt? *N.* Pater meus Ariſtius
Primà luce me accerſit, & me lætari iubet,
Meq; ad nuptias comparare, addit inſuper, ante veſperam
Melanthen hodiè ceſſuram in vxorem mihi.
E. *Melanthen* tibi? *N.* Mihi. An tu non ſolidæ fidei
Patrem meum audes appellare? Dixit: propterea
Credo. Eſt pater meus vir probus, & diues ſatis;
Dicam tibi quot greges alat. *E.* Oh, mitte greges, hahahe.

Ad vxorem redi. *N.* Non redibo: nec vxor erit
Melanthe mihi. *E.* Non id volui. Ad rem redi.
N. Quam rem? *E.* Ad patrem tuum. *N.* An patrem meum
Rem vocas? Rem! est vir primarius, & diues satis.
An Rem vocas? *E.* Non voco. Quid tu inquam ibi?
N. Vbi? *E.* Ah mi nequam ineptulè! Quid respondetas patri?
N. Nihil: neque enim æquum fuit. *E.* An de nuptijs
Lætatus es? *N.* Rem acu tangis. Quid tu putas?
E. Ego quid putem? *N.* Ariolari te velim. *E.* Quid ego
De re tam incerta, qualis tuus est animus,
Ariolarer? *N.* *Ermilla*, tu quidem rectissimè, namq; animus meus
Est res longè incertissima,& cognitu difficillima.
Sed ariolare, *Ermilla* mea. *E.* Lætatus es. *N.* Ariolaris optimè
A vero propè abes. Tantùm non rei quid esset, dixti. *E.* Quomodo?
N. Aut enim lætari me, vel non lætari necesse fuit:
Ergo cùm non lætatus fuerim, tu ex duobus autumasti alterum.
E. Hahahe. Tum non lætatus es. *N.* Quippini. *E.* Quare? *N.* Id ipsa dixeris.
Quare? quare! *E.* Egone? *N.* Tu. Quare non lætatus sum? dicito.
E. Quid ego noverim? *N.* Imò, dicas quare: Quare, *Ermilla* mea?
E. Non lætatus es; quia nescio. *N.* Imò, sum non lætatus, vt scias.
E. Quid ego sciam? *N.* Quam chara sit *Ermilla* Nicandro suo.
Nam tuâ gratiâ non lætatus sum. *E.* Meâ gratiâ?
N. Certè: nam te, quàm illam, ducere mallem multo magis.
Veni ergo vt te extremùm rogem, vt nubas mihi;
Quod si concedas, ego *Melanthen* in perpetuum respuo.
Sin minùs: nihili causâ patris animo vin' aduersari filium? ha!
E. Tu ne itaque me vxorem petis? *N.* Oh *Ermilla* peto, atq; expeto.
Si me, si me--inter principes huius prouinciæ fæminas numerabere.
Tum diues eris. Nam pater meus Aristius est diues satis.
Dicam tibi quot greges alat. *E.* Hahahe, mitte greges;
Atq; hîc longiùs assiste, dum ego mecum consilium ineo.
N. Quid opus est consilio? *E.* Tace inquam. *N.* O vtinam, vtinam! &c.
E. Egon' huic stipiti nuberem? Tum si huic detur
Melanthe, antiquus Alcini in me amor redibit protinùs:
Hac vnicâ spe Aristij diuitiæ contemnuntur affatim.
Nicander, *Nicander* non possum. *N.* Non potes? eheu! non potes?
Quid faciam? pereo miser. *Ermilla* dicam tibi serio,
Quot greges alat pater meus Aristius. *E.* Mitte (inquam) greges.
Non possum. *N.* O me miserum! ô ô eheu! *E.* Quid clamas bestia?
Ego te amo: sed non possum tamen. *N.* Si non potes, me non amas? oh, oh

E. Nunc

E. Nunc hâc festucâ, quam per iocum paraui opus est mihi.
N. Genibus ego te flexis oro, ne misellum tuum deseras, oh! oh!
Et vt soluas manus mihi. E. Tum tu mihi vim inferes.
N. Nolo per deos. E. Non credo tibi. Sed quia in æternum tibi
Me valedicere decet, basium extremum do tibi.
N. Vin' basium mihi? ah *Ermilla* dulcissima! E. Os paulùm aperias:
Volo vt ore hiulco accipies: hahahe haha hahahe vale.
N. Oua, aough oh oh.

SCENA. 6.

LEONISCVS *Sat.* NICANDER.

L. Ha! quid monstri video? in has syluas quæ nova gens
Advènit? Hominem ne an feram video, cui sic hiat os?
Et manus absunt? N. aoah. L. Manus iam video:
Quis te sic miserum parauit? N. oaoh. L. An me mordere vis?
Si me dente, ego te cornu petam. N. ù hum. L. Ad pedes meos,
Age, deoscula. Quin exurge. N. Aaah. L. An tibi dentidolium?
Aut quomodo in illam dens tibi excreuit magnitudinē? N. ahum, a.
L. An evulsum cupis? N. haha. L. Certè tibiam inflectis perhumaniter.
N. Vhum. L. At quid si dum in os tuum imposuero digitum,
Pręmordeas mihi? non potes me sic fallere. Responde mihi?
N. Mumm. L. An gens vestra non loquitur? an lingua deest?
Exquiram: pugh linguam video: responde, responde mihi. N. mumma.
L. An isto dente vox inhibetur? N. aaah. L. An posse te loqui putas
Si dens ille singularis extraheretur? N. hahahah. L. Hem tibi;
Pugno confringam. Siste. N. auh hau. L. sistito: hoc dentifrangibulo
Conficiam quam citissimè. N. auh. L. Pugnum non sufficere putas?
An saxum mauelis? saxum inquiram, aut stipitem. N. auh aa hauh, &c.
L. Quid mihi dorsum obijcis malè conciliate? men' digito vis extrahere?
Experior: hum. N. Auh gratias, *Leonisce*, gratias, æternas gratias.
L. Qualis hic dens est? cruor evulsum non consequitur.
N. An dentem putas? vos Satyri res pastorum non intelligitis,
Non non. An tu nosti patrem meum Aristium? Est vir primarius;
Et diues satis; dicam tibi quot greges alat. L. Mitte greges.
Si non sit dens; quid esse dicam? N. Est ligni particula,
Vel quasi festuca-- vel potiùs ligni quædam particula--
L. Cur ergo in os inseruisti? N. Egon' vt in os meum insererem?
Non sum stultus adeò, dijs gratias. Nam pater meus Aristius
Multos greges alit. Dicam tibi-- L. Quid mihi cum gregibus?
Quis inquam inseruit? N. Procax, & nequam puellula.
L. Puellula! ah pater Silene! puellula! An de nymphis aliqua?

Ha hah ha puellula! ah ha puellula! An formosa fuit?
N. Mediocriter. Sed omnes nequitijs exuperat oppidò.
L. Quænam illa fuit? a ha puellula! nomen edicito.
N. Nomen, & quicquid vis aliud, enarrabo, vbi manus
Exolveris. *L.* Faciam sedulò. An formosa, & benigna fuit?
Ah quid pulchrâ puellâ suavius? Ecce solutas manus;
Nunc dicito. *N.* Fuit *Ermilla* quædam, formâ quidem minimè
Contemnenda; sed quàm sit benigna vides; quæ sic inhumaniter,
Suum amantem tractauit: atque etiam illiberaliter,
Ne dicam-- *L.* Quid dicas? pish tace. An sola fuit?
N. Et absque me solitaria. *L.* An eam olim amasti, aut nunc amas?
N. Amaui: sed non amo. *L.* Vin ergo mihi tradere?
N. Vellem equidem, si possem. *L.* Si vis, potes: fac igitur:
Aut ego dentem tibi in os redinseram, & religabo manus.
N. Au fortissime *Leonisce*, *Leonisce* fortissime ne facias.
Non possum, non possum. *L.* Quare? *N.* Illàc effugit ad casulas.
Iam domi esse credo. *L.* Peruestigemus. *N.* Laterem lauabimus.
L. Volo inquam, nam fortè in his sylvis errabunda deuiat.
N. Frustrà erimus: omnes syluarum semitas pernouit optimè.
Verum eam aliàs tibi tradam, etsi nunc non licet.
L. An *Ermillam* esse dicis? huius *Ermilla* forma non est multi nominis.
An potes *Melanthen*, aut *Orindam*, aut *Sylveriam*
Mihi tradere, quarum fama pervulgatissima? Age.
Has inquiramus potiùs; Inquam? *N.* *Leonisce* fortissime.
Nunc ad Templum Dianæ eundum est mihi: namq; ibi
Sacra fiunt hodie sollennia. *L.* Sacra? sacra sollennia!
Omnes ne ibi aderunt nymphæ? *N.* Saltem quam plurimæ.
L. Sat habeo; hahahe hahahe. Iam quid mihi faciundum scio.
Tuâ nunc non indigeo operâ: vale. At quod nomen tibi?
N. Mihi? *L.* Tibi. *N.* Noli quærere: subrusticum est,
Nomen ab aliquo coràm percontari. Sed quia Satyrus es,
Dicam. Est mihi nomen *Nicander*. *L.* Cuius? *N.* Aristij;
Quem dixi, viri primarij, & satis diuitis,
Dicam tibi quot geges alit. *L.* Imò vale potiùs,
Quid mihi debeas memineris.

SCENA. 7
NICANDER.

Memorem mones.
Duæ mihi res incumbunt simul omnium grauissimæ:
Amor; & vindicta. In *Melanthen* sponsam futuram amor:

In *Ermillam* vindicta. Sed his vtrisq; pater sufficiet,
Nam is diues est, & multos greges alit.

Finis Actus. 1

ACTVS SECVNDVS.
SCENA. 1.

MELIDORVS. ALCINVS.

M. ALcine! *A.Melidore! M.*Tam compositè! *A.*Dij vortant bene?
M. *Melanthe* tua-- *A.*Cuius mihi nomen vulnus est,
Et medicina simul. Quid illa? Conveniſtin'? *M.* Optatiſſimè.
Illa-- *A. Melidore*, priusquam pergas, amoris tui
Causas, quas abrupit *Ermilla*, nunc demùm perficias.
M. An quid Nympha tua responderit, non audies?
A. Audirem præ spherarum cantibus; at Amicitia iubet
Tuis rebus me nunc priorem operam dare; viciſſitudines,
Etsi non efflagitet, amat Amicitia. *M.* Imò tuas
Agamus potiùs. *A.* Quin tuas magis. Amoris primordijs
Nihil vsquam auditu dulcius. *M.* At infaustis amoribus
Nihil dictu acerbius, ergo quæ læta sunt,
Priùs audiantur. *A.* Instat hora sacrificij,
Quæ *Melidore* rebus tuis enarandis anteverterit.
M. At Nymphæ responsum tuæ verbo expediam vnico.
A. Quando ita vis, expedi. Ad me veniet, annon veniet
Melanthe? M. Veniet. Nam -- *A.* Plura ne addideris.
Si veniet, sat habeo. Permittam diuis cætera.
Nunc ad res tuas redi: illas vt cognoscam, ardeo.
Tum quòd amare te gaudeo; tum vt tuis in me meritis
Reponam aliquid, si quid vsui esse poſſim tibi.
M. *Alcine* vicit humanitas tua. Audi igitur, vt ego
Factus Amator perij. *A.* Studio quo poſſim maximo.
M. Ante hos aliquot dies, Ego, & *Sylveria* mea
Cervum in Centauri saltu venatum ivimus.
Interfuere Nymphæ quoque cum Pastoribus aliæ.
Tuq; etiam (ni fallor). *A.* Quo nempe die? M. Pridiè
Postrema Dionysia. *A.* Non non, tum in Elide abfueram.

Verùm perge. *M.* Cervus horas octo concertabat fugâ.
Hostibusq; suis fugâ, non pugnâ superior extitit.
Nam Cerui, secùs ac armati solent alij,
Primò fugiunt, deinde pugnant. Sed in fugâ
Parùm salutis est, vbi seipsum prodit, qui fugit:
Tandem igitur pertinaci canum sequelâ perditè
Lassatus, arbori se adiungit, & cùm se victum propè
Agnosceret, pugnam imprudens incipit: & canes cornibus
Depellit: quod ex mutato canum latratu facilè
Percipio. Ibi lætus, impigerq; canibus
In auxilium primus accurro, et mihi proxima
Succedit *Sylveria*. Alij enim, aut lassitudine
Recesserant, aut ab eâ parte longiùs aberant.
Mox Cervus vno à me confossus vulnere
In terram lachrimabundus labitur. Hic dum ego
Canes castigo, *Sylveria* pro Cervi capite
Cerui rimatur lachrimas. Quas videns, ò *Melidore* ait,
Has lachrimas nunquam fudisset Actæon, si Cynthiam
Non læsisset. Dixerat. Cum Cervus subitò,
Sive ab irâ fuit, Sive ab extremo (vt solent)
Conatu, in pedes enititur: & ramo, vel supremo palmulæ
Digito dextrum Sylveriæ latus inopinanti ferit.
Vt laceram vestem, & mox cruorem video, penè exanimis
Ad illum propero. Illa subridens, nihil perterrita
Vestem aversa dimovebat leuiter; sed quia
Prę tumulo mamillę, quantum vulnus esset, inspicere
Nequivit, me rogat, vt id ei præstarem. Hìc (hei mihi)
Hìc; oihime! *A.* Quin porrò *Melidore*; quid taces?
M. Hìc Alcine, vulnus dum alienum curo, proprium
Conscisco. Nam cruorem abstergens, quàm potui, leniter,
Simul illud ebur molle, nivemq; calidam incautus tetigi
Per venas nescio quis venenatus ignis meat.
Sive enim *Sylveriæ* miseratio emollierat animum mihi,
Sive forma eius periculo commendata, plus valuit,
Ab eius vulnere vulnus accipio non medicabile.
Vulnus illius in extremâ tantum cute, at meum
In imo pectore persentisco: quid multa? Subitò
Novis illam contueor oculis, & amicitiâ nouâ.
Et quamprimum vulnus illius citra periculum sentio positum
Ab eius vulnere medelam vulneri sperabam meo.

Sed

Sed ideò dum latus eius attrecto modestè, & timidè,
Continuò nocens videor:& quod iuvit maximè,
Puduit nonnihil.Exinde nescio quid,si non Amator extiti
A. Ecquid horum illa præsensit? *M.* Quod sciam nihil.
Nam aliæ tum nymphæ catervatim advolant,
Et quid esset mali, quæritant, quibus *Sylveria*
Conspectis meum auxilium pudibunda refugit.
Illæ igitur vulnus ligant, & herbas adhibent
Medicas, quibus illa post pauca reualuit.
(Dijs gratias) illa revaluit; sed vulnus meum
Vires herbarum superat. Hinc æger ad meum
Alcinum,opem implorans, veni. *A.* Quam opem?
M. Quà satis amica *Sylveria* reddatur amans insuper,
Hoc in *Melanthe* expertus es. Indoctum edoctus doce.
A. Vin' exemplo institui meo? *M.* Nullo magis. *A.* Audias;
Postquam *Melanthen*(vti notum est) à *Leonisco* vindicassē Satyro,
Qui vim ei intentârat; gratus, sed non amatus diu,
Cum illâ vixi. Siquidem illa amorem imperita nescijt.
Quare (quam nosti) *Ermillam* amare me simulo.
Quod cùm *Melanthe* perspiceret (vti mos est fæminis,
Sequentia cum primis fugere, fugientia persequi)
Amare me cæpit ipsa, & carendi metu
Me charum habere. Hoc ergo(si me audias)
Experire. *M.* Consilium placet. Sed-- *A.* Quid audeo?
M. Sacerdotum, & sacrificantium voces, *A.* Quid faciemus igitur?
Nolo me Palemon videat. *M.* Ex eorum vocibus
Longiùs eos abesse conijcias. *A.* Quid ipse facies?
M. Memet in ordines immiscebo dextrè; *A.* At ego
Frondosis illis succedam latebris. *M.* At dic *Alcine* priùs,
Quam nympham hac technâ aggrediar. *A.* Si placet,
Ermillam, namq; illa præ reliquis est credula:
Et in novos amores præceps. *M.* At quomodo hunc dolum
Instruam? *A.* Inter sacrificandum adblandiaris *Ermilla*; posteà
Secretò convenias, dones munusculo, & exores basium.
Atq; cures, vt inspectante *Sylveriâ*, fiant omnia.
M. Verùm de *voto meo* quid fiet? *A.* Quo? *M.* *Vovi Sylueria*
Me nullam amaturum aliam, nec ipsam aliter.
A. Cùm primum *Sylveriam* amare velle senseris, adeas
Dianæ Flaminem; is votum tibi remittere poterit.
M. Verùm si --*A.* Ecce viator ingreditur: Vale vale.

Viator.

Sacrificij ordo.

1 *Pelvem & gutturnium.* — Pueri portantes — *duas deauratas pateras.* 2
3 *vinum,* — *aquam,* 4
5 *salem,* — *far,* 6
7 *Ignem vestalem,* — *thus accensum.* 8

Cantatores & Cytharistæ.

1 — 2
3 — 4
5 — 6
7 — 8
9 — 10
11 — 12
13 — 14
15 — 16

Melidorus. — Nicander.
Alteus. — Aristius.
Ermilla. — Sylveria.

1 Pueri 2
portantes pixidem in pulvinari olo-
serico positam, in quâ Oraculum
ad Templum ferebatur.

MELANTHE.

PALEMON.

1 Pueri seruientes *vestem Palemonis* 2
Sacerdotalem diffluentem manibus
à terrâ subleuantes.

Serranus — Montanus

1 Pueri 2
agnos vittatos ferentes

3.

1 Pastores [illegible] *Palemonis* 2
famuli.

quo præterito redit in Scen. Alcinus.

SCENA. 2.

ALCINVS, ECCHO.

O *Melanthe* ! ò cœlo Chariſſima ! tune indigno viro
Locanda, ſi *Alcino* nupſeris ? An me *Nicandro* cedere
Oportet ? tam vecordi ? fatuo ? ſtipiti?
O Cœlum ! ò cœleſtes orbes ! (nam ſæpe inanibus
Has valles, & has ſyluas compleui quæſtubus,
Rupes elingues, & mutas allocutus arbores)
Nunc reſpondete mihi ; nam veſtris voluminibus
Scripta feruntur omnia, quæ mortalibus imminent.
Dicite. Ego, an *Nicander*, dignior virtute? *Ec.* TVTE.
A. Quis tu, qui reſpondes? An effaris Cœli plebiſcita? *E.* ITA.
A. An erit illa mea, pro quâ cor meum perit ? *E.* ERIT.
A. Effare apertè, An *Melanthen* poſſidebo meam ? *E.* EAM.
A. Ah quando fiet hoc ? aut quo die? *E.* HODIE. *A.* Hodie? *E.* HODIE.
A. Quo Deorum fiet effato ? *E.* FATO. *A.* Nempe certiſſimo? *E.* IMO.
A. At qua via decernitur huic Amori ? *E.* MORI.
A. An vt amore fruamur excedendum è vitâ ? *E.* ITA.
A. Quæ ſpes illum manet, in amore qui moritur ? *E.* ORITVR.
A. An aliquis moriens liber erit ab interitu? *E.* TV.
A. In Orco poſitum quid me reuocabit indidem ? *E.* IDEM.
A. An hæc mihi contingent immerenti? *E.* MOERENTI. *A.* Et neſcio? *E.* NESC
A. At oh-- *E.* OH.
A. Quid hi ſibi volunt Satyri ? *Melanthen* hic conſpiciant
Nollem : Ei à templo recedenti obuiàm faciam.

SCENA. 3.

CERVINVS, LEONISCVS, *Satyri*.

C. Quænam hæc vociferatio fuit ? An ſolent ad hunc modum
Paſtores eboare ? *L.* Si quando detur occaſio. *C.* Occaſio !
At vnde oritur Occaſio ? dic mihi. Vnde Occaſio ?
Occaſio res maximi. Occaſio. *Leoniſce*. Occaſio. Occaſio.
L. *Ceruine*, tu tam es Aſinus, nunquam quidquam credo intelliges.
Occaſio ! quid nobis cum occaſione? *C.* Men' aſinum vocas?
Hoc eſt aſini multò magis. Egone tibi pręſtarem auxilium
Cvm hac conditione ? piſh. non faciam. *L.* *Ceruine*, an tam citò
Iraſceris ? Dixi ioco. *C.* Ioco? Mallem dixiſſes feriò.
In me iocari ! non feram. piſh. certum eſt, non feram.
L. At tu feres Beſtia. *C.* An Silvano creatum vocas beſtiam ?
Beſtiam ! *L.* An Pane oriundum flocci facis adeò ?
Quid genus, & proauos mihi iactas ? feres (inquam) feres.

C. At certè *Leonisce* non feram. *L.* At certè *Cervine* ferès.
C. Quid si non feram? *L.* Vis non vis, feres. Pugnemus igitur.
C. *Pugnemus igitur!* Quàm hoc amicum est vocabulum?
L. Quando amicè tecum agi non pateris, quid dicam aliud?
C. Gentiles mei gens *Cervinorum* non amant hoc vocabulum
Pugnemus: atque hoc est, cur ego tam ratus prodeo.
At non feram tamen. *L.* Pish. Vin' inter nos amicè rem geri?
C. Mallem. Sed nolo me asinum vocari, aut bestiam.
Hæc si omittas; en me comitem, & amicum tibi. *L.* Omittam in posteru[m]
Sed *Cervine* tu tam iracundus es. Non te dico asinum, aut bestiam;
Sed quasi asinus, aut bellua, sic iracundus es-- *C.* Hoc *quasi*
Non probatur mihi, puto te me non appellare asinum, aut bestiam:
Sed hoc *quasi* infestum est mihi. *Quasi! L.* Tu nunquam irasci desines.
Vin' quid te velim ediscere? Dies fugit. *C.* Volo, volo: quid est?
L. Id verum esse comperisti, quod modò narravi de sacrificio,
C. Agnosco. *L.* Iam quod verum quoq; futurum esse confido, dicam aliud.
C. Quid illud est? Expedi. *L.* Nymphæ festis hisce Deorum dieculis
Sacris exactis, solæ per vmbras expatiari solent.
Quarum si nos in aliquam incidamus, illam in speluncam meam
Rapiemus. *C.* Si non veniat- *L.* Rapiemus inquam. *C.* At forte renitetur. *L.*
Rapiemus. haaa. Quàm tu es sapiens, & prudens, & videns? haaa.
C. Quid de raptâ fiet in speluncâ tuâ? *L.* Quid fiet! Rogas?
Non dico te asinum, aut bestiam; hahahe non non: non dico te--
Sed interrogaret ista nemo, cui sit mica cerebri.
Quid fiet de bellâ nymphâ in speluncâ Satyri! hahahe.
Quis non asinus, aut bestia talia diceret? *C.* An asinum & bestiam
Me vocas denuò? *L.* Non voco. *C.* Non vocas! Hoc aliud est.
Si vocasses-- Scio. Scio. Non ergo vocasti? *L.* Non. *C.* Tum dicas mihi,
Quorsum tibi nympham rapere lubet, quæ te non amat?
Nullam amplectitur, qui non amantem amplectitur: tum si non amat,
E speluncâ tuâ fugiet clàm, palàm. *L.* Haud ineptè mones.
C. Haaa. Ego sum asinus. hahha. *L.* Ego eius amorem facili negotio
Conciliabo mihi. *C.* An amorem Nymphę Satyrus? hum. Satyrus?
Nos omnes horrent, & fugiunt Nymphæ. *F.* Fateor id quoque.
C. Ego neminem conspexi, quæ me non summo fugitaret opere.
L. Fieri potest. At est mihi Philtrum in hac cucurbita *amoris potentissimum*.
C. Philtrum! quid id est? *L.* Amoris pharmacum. *C.* Vnde conficitur?
L. Est *aqua*. *C.* Qualis aqua? *L.* De fonte lympha lympidissima,
Videas hanc guttulam. *C.* Pish. non credo. *L.* Nonne vides?
C. Lympha! ab aspectu pura est. An in illâ quid virtutis est?
L. Mirifica.

L. Mirificæ. Dico *hanc bibentes in amorem eius cogere*
Qui poculum subministrat. C. Quis demonstrauit tibi? *L.* Pater meus
Glaucus, qui in his saltubus tria permeauit secula.
C. Vnde cognouit? *L.* Quid id tuâ? vin' operam dare mihi?
C. Strenuè: modò cùm tu nympham nactus es vnam tibi, mihi
Conciliaueris alteram *hac aquâ tuâ*. *L.* Faciam; tu modò
Pugnes strenuè. *C.* An pugnandum est? L. Fortasse. *C.* Vale.
Nymphas non tanti facio. vale. *L.* Mane. *C.* An vt pugnem, me manere vis?
L. Dico (inquam) fortasse. *C.* ahum. Forasse! *L.* Non pugnabis igitur.
In illam ascendas arborem, dum in hanc aduersam ego.
Tu casas versus, ego ad templum propisciam. Si quam solam videris,
Hàc accedere nympham, dicito. *C.* Non est igitur pugnandum. *L.* Minimè.
C. Tum ascendam libens. *L.* Ecquam vides? *C.* Nondum firmaui pedem.
L. Corpus frondibus, & folijs obnube, ne quis te videat adveniens.
C. Age. Vin' cantillare me? iam videor mihi factus avicula.
L. Quænam auium sis intelligo. *C.* Quæ? *L.* Cui cantilena vnica.
C. Non-- *L.* St Tace. Nympham cum pastore venientem video.
C. Vbi? vbi? *L.* Tace inquam, ne pedem aut digitum donec iussero.

SCENA. 4.

MELANTHE ALCINVS.

M. Perquam res *Alcine* mira est, ad templum tam propè
Procedere te voluisse. Quâ enim ausus es fiduciâ?
A. Amoris. *M.* Amor quo audacior, sæpè infaustior.
A. Amor inaudax tepidus; & amore tepido
Nihil odiosius. M. At amore temerario
Nihil amentius. *A.* *Melanthe*, *Melanthe*, sic decet,
Des amatorem amentem mihi, qui & desipere
Non erubescat, qui amantem non timeat
Per rupes, & omnes, & mare per insanum sequi.
M. At *Alcine*, quid liceat, parùm attendis interim.
A. In amore pudico, quicquid valemus, licet.
Melanthe. si quid liceret, non attendissem priùs,
Te ex ipsis ordinibus eripuissem modò;
Aut ab altari detraxissem. M. Quid hunc ergo locum
Constitutum nobis egressus es? *A.* Quia duo Satyri
Hîc tum conspecti mihi, qui ne turbellas darent,
Tibi dedi obuiàm. M. Satyri! ò Diana! Satyri!
A. Quid est? M. Subita me somnij recordatio territat.
A. Quamobrem? M. Multos hac supremâ nocte Satyros
Per quietem vidi. *A.* Alibi nocentes magis.

L. Vtinam ne videas vnquam! *M.* Qui dum, (vt visum est) loco
Constiteram valdè difficili, sed mihi longè iucundissimo,
Invitam me rapuere: meq; ad aquam transitu
Perdifficilem duxere, neq; enim lacus, aut fluvius,
Aut fluentorum quid fuit; tamen (vt visa est mihi)
Plena fuit periculi. Sed hanc cum transiueram inscia,
Regiones protinùs habitare visa sum Acheruntical,
Satyri mox euanescunt: & me solam in illis horridis
Relinquunt locis. Vbi, ac si obliuionis æternæ pocula
Bibissem, animum meum mearum rerum omnium, & cui
Incessit atra nox. Tum (vt fieri sueuit in insomnijs)
Tu subitò adesse videbaris, & aderas quasi reuerà mihi.
Sed ego te præsentem, nec sentij, nec curaui tamen,
Et sic prorsus euigilaui. *A.* Dij immortales somnium cuiusmodi?
At somnium, somnium esto. Proin, *Melanthe* nil metuas.
Id agas, quod tempus, & res nostræ monent.
M. Quid illud est? *A.* Rogas? Invisas *Nicandri* nuptias
Hinc mecum fugis. *M.* Has nuptias libenter fugio:
Sed— *A.* Ah *Melanthe*! quid *Sed*? Sexcentis tibi
Rationibus euincam, & posse te, & debere mecum fugere:
Primò enim— *M.* Mitte Rationes: quicquid vis, in pauca refer.
A. An tibi grauis oratio mea? *M.* Non, non; summè iuvat.
Sed sacra me manent. Ergo quid velis, paucis expedi.
A. Vin' has nuptias fugere? *M.* Cùm maximè *A.* Nunc places.
Eamus igitur actutùm, eamus. *M.* Quo? quando? quomodo?
A. In Elida, confinem prouinciam: Iam nunc: hoc habitu.
M. An tu *Alcine*, quâ es pietate, & prudentiâ,
Suades id mihi? *A.* Suadeo. *M.* An patrem, Patriam,
Penates vnà me iubes fugere? *A.* Mecum iubeo.
M. Oh *Alcine*! an sacerdote sacra? sacris Altaria?
An altaribus Templa? Templis Deos? Dijs Arcadas!
Vnâ priuabis operâ? Antiquos Deûm cultores Arcadas!
A. Nollem equidem. *M.* Quid ergo fugiam? *A.* Fugies,
Ne hæc eueniant mala. Si te *Nicander* duxerit;
Quæ dicis mala futura sunt omnia. *M.* Intelligo;
Quia vecors est adeò. *A.* Rectè. *M.* Nt nuptias *Nicandri* caueam,
Satis mihi meditatum habeo, & prouisum satis.
A. Habes? Gaudeo. *M.* Neque est quod gaudeas tamen.
A. An me ludis *Melanthe*? Si has devites, ego vt non gaudeam?
M. Modum, quo deuitandæ, nescis. *A.* Effare igitur.

M. Insan-

M. Infandus est. A. Hab! *M.* Tuâ sed gratiâ fiet, quicquid fecero.
A. Meâ quod gratiâ fit, an mihi dictu nefas?
M. Multa nolumus facienda, quæ facta laudamus oppidò:
Hoc fortè in eorum numero. A. Si me ames, dicito.
M. Orare noli. *A. Melanthe*, si quid ames, obsecro.
M. Amo te: obtemperandum est, Cùm nuptiales faces
Accensas videro: aihimè! vin' effari me? *A.* Cupio. *M.* Moriar.
A. Moriere? ohimè! *M.* Moriar *Alcine*, moriar. Sic tibi
Fida; Patri morigera; & in Deos euadam pia.
A. Sic eris infida mihi, patri proterua, ac in Deos impia.
M. Vt omittam cætera: Egon' infida tibi, quæ pro te moriar?
A. Quia mori vis, infida es. Quod dedisti, negas.
Non tam tua nunc es, quàm mea. Hæ manus,
Hæc labia, Cor intus illud perire non possunt tibi,
Sine fraude mihi factâ, sine damno meo.
An fugere negas, vnde redeas; & mori cupis,
Vnde non est postliminium postea? *M. Alcinum* decet
Maculæ puram adamare, & vitæ integram:
Sin fugero, aut non amabis, aut amabis impiam,
Et profugam. *A.* Hac culpâ fies amabilior. *M.* At amor citò labitur,
Qui culpâ nititur. Ergo statutum est. *A.* Oihime. *M.* Ne suadeas.
A. Imò persuadebo. *M.* Certum est. *A.* O *Melanthe* audias;
Supremam audias hanc vocem *Alcini* tui.
Si de hac sententiâ te dimouere nequeam;
Hoc ferro, iam mox, sub conspectu tuo
Pectus hoc transfodiam: aut si sub specie
Detrectes iam, factura posthàc, ad tumulum tuum,
Tuosq; cineres proprijs hoc euulsum manibus
Cor infœlix immolabo. *M.* Facies? *A.* Faciam: ni faciam,
Quicquid est in cœlo Superùm memor, & vindex audiat.
M. Aihime! *A.* Quid ais? *M.* Aihime! *A.* Per hoc *Melanthe* basium
Liceat exorem. *M.* Impetrasti ferè; sed me mori melius.

SCENA. 5.

SERRANVS. MELANTHE. ALCINVS.

Solus now, Melanthe intus.

M. Serranus est, quem iussi, me venires monitum
Muneris, & officij mei. *A.* Hunc instituamus arbitrum.
M. Quâ de re? *A.* An mori tibi satius, an mecum fugere.
S. Melanthe, Melanthe; Instant vices tuæ. Quin citò.
M. Quam citò? puls. *S.* Tota sacrificiorum prosodia
Iam fermè absoluitur. Hymni, preces, & oracula

Promulgatio. Quid ſtas? *A. Serrane* chariſſime
Tuam appellamus fidē,& prudentiam. *S.* Breuiter *Alcine*, breuiter.
A. Melanthe Nicandri fugere decreuit nuptias.
S. Laudo. *A.* Sed morte propriâ. *S.* O indignum facinus!
A. Annon ergo meliùs mecum in Elida profugere,
Quàm has morte nuptias interuertere? *S.* Meliùs,
Mediùs fidiùs multo melius. *M.* Tune ais *Serrane* fidiſſime?
S. Aio. Si manus tibi inferas, in teipſam, in patriam,
In Dianam peccas abundè: tum ſi te ſemel
Orcus exceperit, non eſt, ab Orco qui te reducat Orpheus:
Sin cum *Alcino* fugeris, te pater,& patria
Reuocabunt indidem. Atque huius rei apud patrem tuum
Palemona, author & adiutor ero: Adiuvabunt alij;
Nam quis *Nicandrum* ferat ſacrorum præſulem,
Et Antiſtitem Arcadicorum? *A. Melanthe* quid hæſitas?
M. Vnum ſi concedas *Alcine*, viciſtis. *A.* Quid eſt?
M. Intactam me ſeruabis, donec aut aſſenſerit
Pater, aut è viuis exceſſerit. *A.* Iuro ſanctiſſimè.
Quin imus in Elida properè; Eſt ibi frater mihi
Polydamus Palæſtrâ nobilis, apud eum latebimus.
Quin imus, inquam. *M.* Extemplò nunc ire neſas.
S. Poſt erit rectius. *A.* Quidnam iſthuc? *S.* Dum mactantur victimæ,
Hanc patri decet aſſiſtere. Aromata ſuccendere,
Altaria farre, & ſale reſpergere; vinum affundere;
Veſtalem ignem adhibere; & reliqua Prothymata
Curare, quia Sacerdoti genere ſit, & ſanguine iunctiſſima.
A. Quorſum hæc? miſſa faciat omnia. *S. Alcine* ne dixeris.
Quinetiam tumultus fiet. *M.* A ſacris peractis *Admeti ad tumulum*
Te ad fugam parata conueniam. *A.* Qui potes?
M. Facilè. *A.* At tempus deerit. *S.* Nondum eſt meridies.
Vt Arcadiæ fines ſuperetis poſteà, ſat diei ſupereſt.
M. Vale, atque hanc fugam adornato. *A.* Vbi, inquam, conuenies?
M. *Ad tumulum Admeti. A. Ad Admeti tumulum:* vale.
S. Iam *Melanthe*-- *M.* Odij immortales quid ago? quid paro?

SCENA. 6.

LEONISCVS. CERVINVS. *Satyri.*

L. Eugè! quàm pulchrè ſucceſſit? *Cervine*, quid agitur;
C. Iuvaret hîc dormire, niſi metuerem præcipitium.
L. Deſcendas, non tutum, neque iucundum eſt dormire penſilem.
Deſcendis annon? *C.* Feſtinandum lentè; Si ex arbore

Tam

Tam lentè quis descenderit quàm ascenderit, non est periculum,
Quàm stupent manus? Elaxata mihi pene crura, & brachia,
Dum arbori pauidus adhæsi: Hoccine Nymphis insidiarier?

L. Haaah Asine--- non dico te asinum, aut bestiam,--
Sed--pish--tu ignarus es adeò. C. Quid ignarus adeò?
Ab his insidijs quid profecimus? Ecquid virginis es
Potitus? Egon' ignarus? pish, tu ignarus es adeò.

L. Haha, esto: licet: hahthe. quàm te ridere lubet? hahahe.
Annon formosa est hęc nympha? Quid tibi de puellulâ meâ
Videtur? C. Tua! hahahe. quomodò tua? quia vidisti? tua! hahahe.

L. Mea, inquam. Hæc efficiet *aqua*, vt sit mea, heigh! meâ.

C. Quare non irruebas in illam, vt efficeretur tua? L. Quia
Pastor hic perpugnax est: Eum expertus sum semel.
Tum in te nihil auxilij fore præsciui, si illos aggressus fueram,
An pugnare voluisti? C. Non libenter. Nescio tamen.

L. Nescio tamen-- scio tamen. C. Sed quomodo futura est tua?

L. An audiuisti nymphæ somnium? Sanè lepidum fuit.

C. De Satyris nescio quid se somniasse, dixisse illam memini.
At meâ nil refert. L. Spero equidem id tuâ referre nihil.
At meâ refert. Ah quàm pulchra est, & bella puellula!
Ah! hahahe: ah me fœlicem! Tam scio futuram meam,
Quàm te *Cervinum* esse, aut te--non dico te asinum, aut bestiam.

C. Si diceres--L. Quid si dicerem? Sed *Cervine*, nolo dicere.
Amo te: te mihi comitem, & sodalem esse gaudeo.
Audivistin' etiam constitutum illis locum conuentui?

C. An audiuisti tu? L. Rogas? C. Me fugit. L. *Ad tumulum
Admeti*. C. Quid illud ad te? L. Pish pish, nihil intelligis.
Si Pastor illuc accedat prior, illum trucidabimus, aut ligabimus.

C. Quid tum? L. Tum puellam advenientem rapiemus illicò.

C. At quid si puella illuc admigret priùs? L. Rapiemus impunè magis.
Tu ergo Satyriscos, & Faunos cum tibijs, & fistulis exquirito.
Erunt enim auxilio nobis, & oblectamento simul;
Raptam cantu, & saltu deleniemus, & nostrâ musicâ,
Pastorum nuptias imitabimur. Quam erit hoc lepidum! heigh.

C. Vin' tu saltare? L. Maximè C. Licebit & mihi? L. Admodùm.

C. Eamus. Tantan tan. heigh chick. L. Tan tan tantataran. heigh.
Erit vxoris loco mihi; tant tan. Quales procreabo liberos? hahahe

C. An læti erimus? L. Lætissimi. C. hahahe. L. Rides *Cervine*? hahahe
Ah fœlix *aqua*! ò fœlix vasculum meum! fine te deosculer; (hahahe
Quàm disrumpor spe simul, & gaudio hahahe C. hahahe. L. hahahahahahe

Finis actus secundi.

ACTVS TERTIVS.

SCENA. 1.

MELIDORVS *solus.*

O Diana! tua dum altaria colebam vnicè,
Cum fronte mihi concors animus & vnus fuit.
Non aliud corde, & in ore gerebam aliud.
Tum ne *Sylveriæ* manus, aut oculi, aut papillæ niueæ
Gemini gemelli magis, quàm mens, & lingua mihi.
Iam sub imperio Veneris ego mihi fio contrarius.
Vt sim fidelis, fraudem facio; vt verus fucum.
Sylveriam fugio, vt assequar; *Ermillam* sequor, vt fugiam.
Rebus & honestis artes adhibeo malas.
O Venus! cur *Ermilla* tam sit amoris auida,
Sylveria quem fugit magis, quàm lupum pecora?
An quia sub te sic viuitur, vt quæ nolumus, ex facili
Consequamur, quæ volumus omnia, sint in arduo posita?
O *Alcine*! quàm te verum inveni Amoris auspicem?
Simul enim *Ermillam* alloquor, audit, credit, annuit,
Locum, & tempus accipit. Quod reliquum est, O Venus!
Fac vt *Sylveria*, quę velim, opportunè videat.
Sed quid hoc? Ecce *Sylveriam*: *Ermillam* prius
Expectabam: nunc aliud consilium incundum mihi.
Sohohow *Sylveria*: Quid nymphas tam citò reliqueris?

SCENA. 2.

SYLVERIA. MELIDORVS.

S. Te quærebam. Quid tu à templo tam citò recesseras?
M. Sub his vmbris te præstolari lubuit magis.
S. Sed cur *Palemon*, & sacrificantium reliqui
Per hanc Phœbi planitiem à Templo non redeunt?
M. Lucus Dianæ lustrandus erat; quod solis Arcadiæ
Primoribus in officio est. Id vbi fecerint,
Dulcissima Sylveria, per illas sylvas ad tuguria
Reditus expeditior. Hoc fuit, *ô mea, ô dulcissima.*
S. Eiah! quàm mellita verba *Melidore*! *O mea!*
O dulcissima! Vnde hæc quæso *Melidore* tibi?
M. Est amicitiæ mellitæ, verbis vti mellitis.
S. Factis, non dictis mel amicitiæ [illegible].
M. An decet, amicis inclementer, & inimicè loqui?

S. Non

Non decet: at blanditias decet in sylvis sugere.
In corde rosas esse ais, & in ore spinas?
Non me assequeris, *Melidore.* Amicos stabiles,
Et firmatos blanditiarum puderet huiusmodi.
Cuiusmodi? *S. Ah mea! ah dulcissima! delicia summa!*
Mea serenitas! mens Zephyrus! Aprilis meus!
Quam sunt hæ leues, & inanes nugæ, & viris
Indignissimæ! *M.* At te fœminam *Sylueria* meminerist
Fœminasq; virum decet mollius, & lenius alloqui.
Mollius! si quæ forte sit vxor, aut amasia:
Sed amicam adeò molliter affari dedecet.
Ipsa Diana nil potuit acrius. O *syluestria!*
Quid manum etiam tam attrectes pressius? at pish!
Flammas amoris negas, huius manus mutem quoque
Ne inuideas. *S.* Manus hæc mea si nix fuerit,
Diffinges premendo, vel tractando liquefacies.
Mitte ergo. Quænam etiam hæc lateris mei complexatio?
Et circumcinctio pene? *M.* Zonam virgineam
Putes, vel Dianæ cingulum. *S.* Vel magis Ceston Veneris.
O vtinam! *S.* Ehem. Tolle manum; abscedas obsecro.
Pish. Non placet. *M.* Quare? *S.* Quia videtur indecens.
Indecens! Nunquid odiosa tibi contactio mea?
Nunquid eo es impudicior, aut inquinatior? *S.* Minimè.
Sed subesse nescio quid, quod non decet, intelligo.
Quia minus tibi placeo, quicquid ago, non decet.
Quid hoc *Melidore?* An somnias vigilans,
Qui vigilabas hodiè dormiens? si minus placeas,
Vide ne sis factus alius. Ecquid es voti memor?
Non sum cæca *Melidore.* Quid enim tu cum *Ermilla* hodiè
Tam blanditer in Templo collocutus es? caue, caue.
Rupem illam vides? vides? quam læsæ, & offensæ Deliæ
In vindictam statuero maiores nostri? vnde præcipites
Agendi, qui vota Dianæ nuncupata minimè persoluerint?
Quid inde? *S.* Quid itaque dixeris *Ermillæ* quæras.
Quid ego dixerim *Ermillæ,* ob *Ermillà* rogem.
En vbi plena cogitatis inturbulat. *S.* Quò te igitur?
Mox adero: hic quæso dum redeo, maneas.

SCENA. 3.

ERMILLA. SYLVERIA.

An ille me? O Venus! *S.* O Diana! hic ille qui est?

E. An me Pastorum delitiæ? *S.* Quàm pulchrè conuenit,
Vt pastorum delitiæ nympharum nugæ? sed silentium
Imperandum est mihi. *E.* Iam tandem illuxit dies,
Quo possis *Ermilla* meritò triumphare. Iam licet
Nymphas omnes Arcadiæ misellas despicere,
Amatorem nacta, qualem non eras ausa Deos
Rogare. *S.* Hah. *E.* Eas nunc *Alcine*, quò lubet, eas, eant alij.
Huic vni me propriam dico. *S.* Ehem. *E.* Sed pastor hic meus
Ad constitutum cur tam tardus accedit locum?
Quin paras te potius, vt illum accipias lepidè.
Multi bona perdidere, dum bonis vti nesciunt.
S. Quorsum euadet? *E.* Cùm ad me accedet, ego nolenti similis,
Aut parùm intelligenti, quæ cupio negabo subdolè.
Sed quod alterâ repello, manu traham alterâ.
Dextram si præhendat; renuam, pish, fy: tamen inuita quasi,
Permittam: & dum reijcere videor, leuiter illi digitos
Substringam, & placidè. *S.* O Cœlites! *E.* Sin basium
(Quod faxit Cupido) petat: videbor emirari protinus,
Ac si novum hoc esset, & inauditum: sin instet acriùs;
Modò non repetere promittat, quasi nloens dabo,
Quod dari velim maximè. At si, at si prudens repetat,
Sine iniuriâ mihi factâ feret. Volenti non fit iniuria:
Simulandum tamen, quasi nefas hoc esset incredibile, pish, fy.
Artis enim fœmineæ caput est, ibi vultu refugere,
Vbi voto præcurrimus. *S.* Qualeor! O Diana! fœminam!
E. Vbi autem amorem, sed non ante plures eiusmodi
Vices, exorauit, nuptias exoptatas in multos deinceps dies
Differre velle videbor, sed clanculùm accelerabo tamen.
Intereà vero quantis gaudiorum præludijs dice
Beabimus intermedios? Nunc sub vmbrâ reclinabimus,
Cantu, & carmine concertamus: nunc labia mutuis
Fatigabimus osculis; & breui post, O qui complexus! quæ gaudia!
O Venus! -- Sed quid hoc? An corpus vnum vmbras emittit duas?
S. Manifesta sum. *Ermilla* respice. *E.* Numquid ex insidijs
Sermones aucupasti meos? *S.* Quid ego insidias tibi?
Sed omnibus hoc vitium est amantibus tacenda loqui.
E. Quanto magis tacenda *Syluestria*, tanto iucundia magis.
S. Quin potiùs è diametro. Nam quod abstrusô recondendū pectore,
Non sine vitio gaudium; & aviti[illegible] gaudium sobstit [illegible]
Sed *Ermilla* tibi vitiô [illegible]

Vestrum omnium, quæ Venerem colitis. *E.* An Venerem colere
Infœlix, aut inhonestum? *S.* Certè inhonesto proximum.
Parce maledicere. Nam neque potentiâ nec in homines meritis
Dianæ posthabenda Venus. *S.* Venus! quam Iocus leuis
Circumuolat, & amens Cupido! An illa par Cynthiæ?
Cynthiæ! quam comitatur inculta tristities, & virtus horrida,
Nec non bonorum nescia. Est Diana-- *S.* Est Venus-- *E.* Agè,
Ecce vbi Nympha se proripit; hanc ponamus arbitram,
Vtra sit istarum Dea maior, & cultu dignior. *S.* Placet.

SCENA. 4.

MELANTHE. SYLVERIA. ERMILLA.

Scylla, Medea, Ariadne, & tu Thysbe Babylonia,
Lachrimabiles olim amantes, audite-- *E.* Heus Nympha, liceat
Vno te verbo. *M.* Aihime! quæ vox? *S.* Nisi simus molestæ tibi,
Te iudicem appellamus. *M.* Men' iudicem, Nymphæ bellissimæ?
Aliam quæratis obsecro, Ego rea sum sistenda magis.
Quàm sis prudens quærimus, non quàm pia, & innocens.
Rectam sæpe sententiam iudex in se nocens tulit.
At me curæ premunt aliæ. *E.* Nequicquam ne vis, mane.
Expediemus breuiter. *M.* Non me norunt: salua sum.
Quid ais? *M.* Quin expedite breuiter: Quam litem intenditis?
Ego Dianam. *E.* Ego Venerē laudo. *M.* Aequum facitis, & bonum.
Sed ego Dianam præ Venere. *E.* Ego præ Dianâ Venerem
Extollo. *M.* Ne sic pessimè. *S.* At ego Dianam Veneri
Præpono. *E.* Atqui ego Dianam Veneri posthabeo.
Tacete audaculæ. An audetis Diuas inter se committere?
An ego Nympha mortalis de Dijs immortalibus
Sententiam feram, Midæ regis, & Paridis immemor?
Rectè mones, & piè quidem. *E.* Id nempe volumus;
Vtrum Amare, vel non Amare sit Nymphæ iucundius.
Scilicet id quæritis, An amantibus, vel non amantibus
Veriora contingent gaudia. S. Intellexi probè. *E.* Scilicet.
Vtrisq; gaudium esse potest: quid litigatis? *S.* Quia
Est Amor animi morbus. *E.* At morbus sanitate potior.
Est fletus pater, & suspirij. *E.* Nec minus risus & gaudij.
Somnum adimit. *E.* At quod somno demitur, vitâ reponitur.
Libertatem minuit. *E.* Minuit, vt post augeat magis.
Mortem festinat. *E.* At vitam prius vt perficiat.
At Amorem quæ non nouit Nympha, est-- *S.* Quid est?
Est Rosa, sed hortis quæ secretis nascitur. *S.* Spinas ergo sibi.

E. Est gemma, sed nondum ab artifici polita manu.
S. In se diues, & pretiosa manu non eget artifici.
E. Est terra sed inculta. *S.* Deos habet agricolas.
E. Est alijs planè mortua. *S.* Eo magis viuit sibi.
E. Sed solitaria *S.* Sic Phænix. *E.* At non renascitur.
S. Sat est vixisse semel, vitam si viuas bené.
E. Nescit humana gaudia. *S.* Vt diuina sapiat altiùs.
M. Castitati satis, & satis amori datum. Nunc abeam finitis.
E. Indictâ sententiâ? pish. *S.* Absit molestia; Sententiam ne neges.
M. Nymphæ, dum non amaui, vigui, postquam amaui perij. *S.* hah.
M. Sed nunc perire mallem, quàm non amare. *E.* ha! *Syluveria.*
M. Valete nymphæ. *Amb.* St hem. Mane. *M.* Haud arbitrariò
Perit suarum oblita, quæ res alienas agit.
E. Heigh, Quàm pernix fugijt? *S.* Nympharum quæ sit hæc,
Nequeo mirari satis. *E.* Quæcunq; fuerit, à me sententiam tulit.
S. Non tulit. *E.* Tulit, non tulit, mallem pastorem tuum
Oculis vsurpare. *S.* Pastorem meum? *E.* Quid dixi *Sylveria*?
Non, non, Pastorem meum. *S.* De *Melidoro* quàm metuò?
Pastorem inquis tuum? *E.* Tuum, meum inquam. *S.* An is est?
E. Vbi. S. Videas vbi incedit. *E.* Oh *Sylveria*! perij;
Si me *Nicander* præhenderit, perij planissimè.
S. Quin fugis ergo, priusquàm te conspiciat. *E.* Tum datam fallo fidē.
S. Cui? *E.* Pastori meo. Ah *Sylveria*! S. Verùm ego abeo.
E. Imò maneas quæso, dum *Nicander* abierit; quæso maneas.
S. Concedas ergo. Dum pastor ille tuus adveniat maneo.
Est enim, quod animi subincerta de *Melidoro* metuo.

SCENA. 5.

NICANDER. ERMILLA. SYLVERIA.

N. Non hàc, neque illàc, Sohobow *Melanthe.* Vbi es gentium?
Quid faciam? vbi illam quæram? Auh! nymphas conspicio;
Sylveria est. E. Me miseram aspexit. *N.* Fortè ea est
Quæ *Sylveriam* pone tam latebrosè se occulit. Salue *Sylveria.*
S. Et tu. *N.* Liceatne? ha, S. Quid me circumspectas? *N.* Ah *Sylveria*!
Annon à tergo tibi nympha quædam est? S. Quid id tuâ? hah.
N. Ah ne sæui. Noli, *Sylveria*, nos amatores contemnere.
Est mihi pater diues satis. Dicam tibi quot greges alit.
S. Hahahe. Dignus es qui greges æternùm cures. Quid vis tibi?
Absiste. *N.* *Quæso* *Sylveria*, est illa fortè nympha mea.
S. *Quænam* tua? *N.* Nescis *Sylveria*? tune nescis? est *Melanthe* mea.
S. Non est. *N.* hah. Certè video Ermillam video. Oh Iupiter!

Ermilla est. *E.* *Ermilla* sum? quid ergo? *N.* Ah nequissima!
E. Adiuva me quæso *Sylveria.* *S.* Vin' in nympham irruere?
N. Quæso, *Sylveria,* sine me. *S.* Abstine. *E.* Caue tibi:
Hac ego te confodiam sagittâ, ni abscedas longiùs.
N. Vin' dicam *Sylveria* quantum hanc *Ermillam* olim amauerim?
S. Nolo. *N.* Vin' dicam quibus me hodiè habuit modis?
S. Nolo. *E.* Quibus es dignus. *N.* Non est, quod dicam tibi.
Vin' ergo dicam quot greges alat pater meus Aristius?
S. Non, non, hahahe. *E.* hahahe. *N.* An tu rides etiam, peruicax?
Ego te -- Quæso *Sylveria.* Omnia minoris facio,
Præ quàm quibus modis me ludos fecit hodiè. *S.* Mane.
E. Vin' manus ligatas? vin' imponi festucam in os iterum? oaoh.
N. Vtinam ego te in his vlnis amplecti queam? *E.* Quid ageres?
N. Ego te nequissima--basiarem -ha--vsque ad necem.
S. Pulchrum sane vindictæ genus? Hęccine *Nicandrum* decent,
Qui futurus est nobis olim summus sacerdos Cynthiæ?
N. Pol *Sylueria* rectè mones; oblitus eram mei: sic potiùs, fateor,
Me grauiter oporteret incidere, & pontificaliter. *E.* hahahe.
N. Rides *Ermilla*? contemno te, similesq; tui. Tum me decet
Excreare prudenter, & magnificè. hum. hake. *E.* Non, non: hoc modo.
N. Pish. An me docebis rectiùs quàm *Palemon* socer, aut pater meus Aristius?
S. Quomodò te docuere? *N.* Ad hunc modum: Non non, hoc modo.
Nec isto: Sane *Sylveria* penè oblitus sum: sed mirum in modum
Instituerunt optimè. Sed vt sum caudex, obliuiscor omnium.
E. An oblitus es amoris quem debes mihi? *N.* Amorem tibi!
Debeo vindictam potiùs. Sed quia sum hæres Flaminis
Inaugurandus hodiè, ignosco tibi. *Ermilla* vale. *E.* Ah *Nicander*! hahahe
Siccine tuam *Ermillam* deseris? *N.* Nihil audio. *E.* Hei mihi! hahahe.
N. Surdus sum. *E.* Quin semel rogo. *N.* Serum est: vale, vale.
E. Eheu! hahahe. *N.* At tu *Sylveria* (quæso) dicas mihi,
Si *Melanthen* hâc euntem videris modò. *S.* Quid tibi
Cum illâ iam. *N.* Nescis? In vxorem mihi locanda vesperi.
S. Quid tum postea? *N.* Quare patrem (tu eum nosti) *Palemona*
Exoravit, vt detur ei mecum colloquendi copia.
S. Tecum! *N.* pugh. *S.* Quare? *N.* Ne peregrino nuberet,
Aut incognito. *S.* Perge. *N.* Tum-tum--*E.* Porrò. *N.* Tace tu,
Tum (ita vt occepi dicere) concessit pater: Locus colloquio
Vallis Dianæ constitutus. Ego-- *E.* Quis? *N.* Pish. *Nicander*, ego
Inquam, illuc me; ibiq; maneo diutulè; sed nulla venit.
S. Quæ? *N.* Nempe *Melanthe.* Huc igitur illam quæsitum propero.

S. An illa in vallem non ambulauit vnà tecum? *N.* Minimè.
Aliquid—auh velum, velum deesse dixit, quod dum quæreret,
Me iussit illam ibi præstolari. Feci: sed frustrà. Eam itaq; si vidistis; dicite.
S. *Ermilla*, ipsa fuit, quæ præteribat nympha modò. *E.* Proculdubiò:
Sed illi ne dixeris. *N.* Auh, Certè vidisse videmini. Quà abijt?
S. Illàc. *E.* Non non illàc potiùs ad dextram. *N.* Quid ais *Sylveria*?
Namq; *Ermillæ* non credo. Quid ais? *S.* Nihil nego.
N. Valete. Si dixisses *Ermilla* sola, non credidissem tibi.
E. Certè profectò, gratiam habeo. *N.* Inuidebis *Ermilla* vesperi,
Cùm me sponsum tam elegantem videris. Vale vale.
E. Quot greges alit pater tuus Aristius? *N.* Nihil dico tibi.

SCENA. 6.

ERMILLA, SYLVERIA, MELIDORVS.

E. Ipsa fuit *Melanthe* procul omni dubio, quæ stipitem hunc fugit.
S. Credo equidem. Hinc *Ermilla* quid sit amare cognoueris.
Iussa patris contemnere, &— *E.* Et! An id tanti facis Sylueria?
S. O Cynthia! *M.* Has simul ambas alioversum nunc videre me velim.
S. Hui *Ermilla*! *E.* Hui *Sylveria*! Sed videon' Pastorem meum?
S. Dij me!— *E.* Quo fugit? *S.* Est illic *Melidorus* meus.
E. Recedit fortè, quia *Sylveriam* simul hîc aspexit.
S. An amat? an *Ermillam*? Sic datam seruat fidem?
Certum est mihi hanc rem ab insidijs comprehendere.
E. Quid secum *Sylveria*? *S.* *Ermilla* Veneri & Pastori te committo tuo.
E. Oh si nunc adesset! Hâc iam amotâ non diù aberit.
Atq; ecce vbi timidè ingreditur speculanti similis?
Nùnc *Ermilla* para te graphicè.

SCENA. 7.

MELIDORVS, ERMILLA, SYLVERIA *in insidijs*.

M. Euge! *Sylveriam* tetigi.
En vestem per arbusta video; Excubias agit.
O Venus, fac vt *Sylveriam* per latus *Ermillæ* vulneres.
E. Iam me videt. *S.* Ad *Ermillam* rectâ. Ahimè, quid video?
M. Salue plurimùm *Ermilla*. *E.* Nec tu salueto *Melidore* minùs.
M. Quas ego tibi gratias agam *Ermilla*, quæ tam libens
In has vmbras secesseris meâ gratiâ? *E.* Gratias ecastor non sum merita.
Mitte *Melidore* gratias, quid gratias agis immerenti mihi?
Quin loquere quid me vis? *M.* hum. ah. *S.* Quàm blanditer ab exordio!
M. Indoles, & ingenium animi, mores venusti, decus & gratia corporis.
E. Nam cuius *Melidore*? *M.* Illius *Ermilla* quæ me videt.
S. Mei! mei *Melidore*! verum quid ista? *M.* Amare me

Cogunt

Cogunt. *S.* Aihime! Iam votum illi perijt. *E.* Amare te!
Iocaris ecastor. *M.* Quid aliud oculorum astra? *E.* Pugh. *M.* Genarũ purpura,
Labiorum fraga, Ceruicis ligustra? *E.* Pugh. *S.* Hæc eadem est,
Quam per insomniũ vidit hodiernum. *M.* *Ermillæ*. *S.* Hęccine ea est,
Quam somnians vigilans cogitat? *M.* Hæ, hæ Cupidinis
Sagittæ cor violarunt meum. *E.* Vnde sanari cupis?
A te. *E.* A me? *M.* Aut saltem per te. Manus hæc medica
Partem doloris aliquam leuabit mihi. *E.* Hæc manus!
Pish fy. *M.* Quid renuis? Cùm quis indemnis possit alijs
Mederi, plusquam crudelis est, si medicinam negat.
Nemo sanat, quod nescit: morbum manus hæc ignorat tuum.
Manus has nostras sine loquantur inuicem: manus mea
Tuæ tacitè loquetur tuæ. *E.* Quid? *M.* Nymphæ meæ dextra
Tantum contactu sanat, quantum ab aspectu necat.
Ni videns, & presens, quis *Melidorum* crederet,
Tam futulem esse potuisse? *E.* Surdastra mihi manus, nihil percipit.
Loquantur itaque labia nostra: Quod manus exprimere
Nequeunt, docebunt labia clarissimè. Est labium turgidulum,
Et roseum cordis interpres optimus. *E.* Quonam abutitur
Sermone? *M.* Nescis? Osculorum *Ermilla*. Audi. *E.* O facinus!
Egregium! *S.* Longe indignissimum! *M.* Vnum ni detur basium,
Pereo. *E.* Vnum ferendo basium, inuitamus plurima.
Quousq; solum vnum negabis mea? quousque dulcissima?
Modò ne repetas, non nego. *M.* Repetere vetas,
Quod nondum peto? *E.* Non petis? *M.* Quod inquam, non impetro.
Ah nunc *Ermilla*, nunc places. Hoc vno ab osculo
Mille posthac nascitura confido gaudia. *E.* Mirus es
Ecastor *Melidore*; quis te tam peritum amoris crederet?
Infœlix illa peritia est, quâ peritus perit. *M.* Quid iuvat,
Peritum esse me, illa, quam amo, si nihil intelligat?
Nescis, quantum intelligat illa. *M.* Ergo responde mihi:
Ecquid amari me dignum putas? *E.* Id alio dicendum tempore.
Quando? *E.* Cùm te proximùm conuenero. *M.* Nunc oro potiùs.
Iniquum oras: nunc ad Nympharum chorum, vbi sum
Adesse pollicita, properandum est. *M.* Quando conuenies iterum?
Propediem. *M.* Vbi? *E.* Hic. Vale. *M.* *Ermilla* vale: sed priùs
Hoc osculo salutem des mihi. *E.* *Melidore*, quid agis?
Corollas quoque commutemus inuicem. An negas rem tantulam?
Leuioris hoc gratiæ symbolum. E. Vides quàm nihil negem tibi.
Euge! Recenti amatori nec nihil dandum, nec omnia.

S. O Cynthia! tam facilis audis hæc scelera? tam leniter vides?

SCENA. 8.

MELIDORVS. SYLVERIA.

M. Sed metuo, vt quid sit factum perspexerit *Sylueria*.
Eugè! En vbi per virgulta pellucet, vt per nubeculam
Cynthia. Persensit scio. O Venus! des exitum
His rebus meis lætum. En vbi stomachosa prodit.
Quàm tremo, horreoq; miser? Ab hac medicinâ graui,
Deploratis vt ægris, aut salus, aut certa mors eueniet.
At teipsum ne deseras, *Melidore*: timorem dissimula;
Animum commasculà, hum! hum! O *Sylueria*, quorsum aberas tam diu
Quid te tristem video? vnde irasceris? Quid dolet tibi?
S. Preter Melidorum nihil. ah! *M.* A principio pulchre: vritur, vritur:
An doloris tibi causa *Melidorus* tuus? S. Tuus! Meus!
O *Melidore* vnde exordiar? aut quid primum dicam tibi?
Perdidisti te, atq; me, & patriam, heu miseram patriam!
Cuius hæc tellus tuum votifragium, & hæ sentiunt arbores.
Hinc ira Deorum est, hinc fames, morbi, *Siccitas*.
M. Quodnam inquis votifragium? S. Quid vltrà simulas?
Vidi, & audiui omnia: atq; vtinam aut ègo auribus,
An tu linguâ caruisses. *M.* Quamobrem? S. Rogas? Quia
Voto tam sanctè Cynthiæ nuncupato vim factam inaudij.
M. An nympham mei amantem humaniter accipere,
Vim voto facit? S. Nympham lasciuam precibus, & basiis,
Idq; repetitis accipere, liberalis ecastor humanitas.
M. An illiberale adeò semel hoc animi causâ facere?
S. Hei mihi defendis etiam? An igitur animi gratiâ
Ab illo *saxo* præcipitari iuuat? Væ miseræ mihi!
Vide, quid feceris *Melidore*: factum est operâ tuâ,
Vt vel tibi sim crudelis, vel inimica patriæ,
Vel (quod vtroq; manus,) in Dianam perfida.
M. Quid hoc? quorsum euadet? S. Votum sic soluis tuum?
Datam sic seruas fidem? sic sceleri stultitiam induis?
M. Quod Votum, quam fidem, quam stultitiam memoras?
S. Hui non intelligis! Ita ferè fit; Omnis stultescit impius.
Nam in *Ermillâ* dum peccas stultitiam adijcis
Impietati. *M.* Quid in *Ermillâ* peccaui? S. Amas.
M. At si non amem. S. Negas? *M.* Liceret. S. Quid audio?
M. Quod verum est. S. Nihil ne tibi frontis superest?
M. Quantum viro bono sat est. S. Et hæc negas tamen?

Vbi

Vbi voles, nego: & sanctè iuro: atq; amoris nihil
Ab *Ermillâ* rogasse me, Dianam testem inuoco.
Tace sacrilege; An eò ventum est dementiæ
Tam statim, vt scelus scelere velandum putes?
Votifragium nouo periurio? ne tellus dehiscat metuo.
Vera memoro. *S*. *Q*uàm sunt hæc vera summus sacerdos Cynthiæ
Palemon viderit, Vale. *M*. Verùm audi *Sylveria*.
Nihil audio. Dianæ causâ in me, in te, id patriam sentiam.
Hah! *S*. At ô *Melidore*! Deos læsisse, quàm sit miserum, vide:
Ego, quæ pro te centies non dubitem mori,
Huius non esse nequeo sceleris testis, & index tui.

SCENA. 9.

MELIDORVS *solus*.

Haugh! quid dixit? *An ab illo saxo præcipitari iuvat?*
Quàm sint hæc vera summus sacerdos Cynthiæ
Palemon viderit! hah. Ergo mors non abest procul.
Sed aliquid dictam meminisse videor his grauius.
Memini, sed fugit: auh! non, non: sed fuit his grauius, gravius, &c.
Hah, *votifragum*, auh id fuit: *Melidorum votifragum*,
Et periurum, *& stultum habet Sylveria*.
O Diana! sed tu meis obsurdescis precibus.
O Venus! sed tibi lasciuæ non vacat seruare tuos.
O superi! Sed vos non exauditis impios.
O inferi! quantum est, hoc quovis fato grauius?
O *Q*uantum hic stupeo! metuo ne in marmor abeam.
Hic me oporteret--oporteret--sed quid oportet, nescio.
Siccine scedunt fallaciæ mihi? Vt per quietem aliquoties,
Vrsum, aut leonem, aut intractabilem tygrida
A tergo inhiantem mihi, vidisse memini,
Et cùm fugere cuperem enixè membra mihi
Nitebantur contrà, atq; omnes artus stupor
Lentus, & tenax occupabat: sic sæuientes, & truces
Me curæ premunt & insequuntur vndiq;,
Quibus me subducere, vnde incipiam, nescio.
Id tantum sentio: his vnam malis omnibus
Sylveriam mederi posse. Ad illam quid non eo? Ibo. Eo.

Finis actus tertij.

ACTVS QVARTI.

SCENA. I.

LEONISCVS, CERVINVS, MELANTHE.

Cum choro Satyrorum tybias inflantium.

M. QVò me rapitis? *L.* st. Silete. *M.* Hæc me acceleratio
Ad languorem dedit: vel respirem sinitis. *L.* Sistite.
C. *Leonisce*, est hæc planities saltationi peraccommoda:
Hic ergo saltemus, hic nympham nostris tripudijs
Et cantu reficiamus. *L.* Chich, pol rectè mones. *M.* Oihimè!
L. Quid tristis es nympha mea, mea bellissima.
Ego te amo, & ardeo vnicè. Quanto tu nymphis alijs
Beatior? gustabis qualem nos Satyri vitam degimus,
Satyri Deorum incrementum. *C.* Heus nympha! Ecce me;
Iam Sylvano creatum vides. heigh. *L.* Ecce te! Si ausis iterum
Hanc meam alloqui, vel contueri, peribis illicò.
C. Non contueri! Ipsam, si hic adesset, Cynthiam
Contueri liceret. Vale ergo. *L.* Non id eò dixi: mane.
C. Non maneo. *L.* Saltabimus vnà. *C.* Eâ lege maneo. Sed--
L. Pish. sed-- Heus nympha, est hic valdè bonus, vt vides,
Licet iracundior æquo, est tamen amicus tolerabilis.
M. Fieri potest. *L.* hum. *Cervine* saltemus, & tu prior incipe.
C. Libens. Agite. * Non illam volo, volo quam cum Thystili
Sylvanus saltare solebat olim. *L.* Nescitis? tantan: &c. * ea est: optimè.
Nunc *Cervine* te virum fac ostendas, dum hic Nympha steterit
Ex aduerso tibi. *M.* His me paulum obsecundare decet,
Saltem vt hic mora lucrifiat, haud aberit *Alcinius* diù.
Quid ais Nympha? *M.* Nihil planè. *C.* Iam agite;
Paratus sum, heigh. * *L.* Quid tibi videtur? Ecquid probas?
M. Maximè. Sed tu posses melius. *L.* Spero equidem.
Beatum me! iamdudum me amat. Inflate Panicam
Quam dicimus, cuius inventor magnus ille Pastorum Deus
Ad Ladonis Ripas cum Syringe peteret.
* Annon sic, sat esse credis doctè? *M.* Eugè! doctissimè.
L. Quod & inuideat Orpheus vester etiam cantare didici.
Si placet audies: Heus *Carvine* succinito mihi. *C.* Libentissimè.
Adiutabo strenuè! so so. hum hum. *M.* O vtinam hinc aliquà
Fugere daretur! *L.* Ausculta ausculta, quid tecum tibi?

C. Fugit

C. *Fugit nympha. *L.* Oh me! Quæ tibi libido nos fugere?
M. Iocabar equidem. *L.* Perfectâ mox cantiunculâ
Quò lubet ibimus. *Voluistin talem corrumpere
Cantiunculam? *M.* Minimè. *L.* Vin' aliam insuper? M. Si placet.
C. Verùm audi *Leonisce*; oblitus videre vasculi tui.
L. St. Ad eam rem commodissima dehinc captanda est occasio.
Iam vides nympha, qualem nos vitam Satyri viuimus.
Annon Pastoritiæ præstat? Quid ais? *C.* Annuit silentio.
L. Verùm alia tibi vitæ nostræ suaviora monstrabimus.
Eamus. M. Quò me ducitis? maneamus hîc potiùs, obsecro.
L. Quid retrectas? M. Præ lassitudine conficior misera.
L. At eò te ducimus, vbi recreabere multò rectiùs.
M. Hîc nisi maneamus parumper, non licebit posteà.
L. Nunquid ergo lassa es? *Cervine* attendas. Te lassatam doleo.
Vin' potu spiritum souere? M. Si quis daret mihi.
L. Hem tibi. M. An bonum daturus es? *L.* Experiundo scies.
M. Num vini quid est? *L.* Deorum immortalium nectar bibes.
C. O quàm vellem biberet! Hei mihi! delicata renuit.
M. Tuâ benignitate frui libet, & de labore sitio;
Sed mens mihi, nescio quid, præsagit mali tamen.
L. Mittas proinde: eamus. Sities magis fortasse vesperi.
Eamus. *C.* Quàm cordi fuisset huius aquæ experimentum capere?
L. Eamus. M. Quò? *L.* Domum meam. *C.* Domum! hahahe, domum!
Speluncam intellexit. M. Vbi illa est? *L.* In densiore nemore.
Ibi erit, quod edas, & quod bibas affatim. M. At ego
Mallem hic paulisper desidere. *L.* Bibas, maneas.
M. Bibam, cedò potum. *C. Sylvane* pater! bibit, iam videbimus—
M. Eh. *L.* Prosit, prosit. M. Aquam dedisti. *L.* Quippini.
M. Atque ego per inediam, & sitim nuperam hausi profundiùs.
L. Tanto prosit magis. M. Iam tristis imago somnij subit.
Aihimé! quid faciam? ad *aquam* perduxere Satyri.
Non hic lacus, aut fluvius, sed est aqua: quam metuo cætera?
L. Quid ais mel meum? M. Quid hoc est! *L.* Ecquid me amas?
M. Hah! quid? *L.* Amabis illicò. *C.* Permittas illam pauxillum sibi.
M. O Diana! *L.* Iam aliquid in se persentiscit noui.
M. Quantum transmutor? *L.* Audin? Iam in amplexus ruet.
C. At non videtur amanti similis. Pallida torpentibus
Stupescit oculis. *L.* Illud est amantium: sic solent.
M. Eheu! quis istius torpor, quod frigus iners mihi
Per membrorum inambulat meacula? hîc sentio, & hîc;

*In m[...] cant.f[...] parat[...]
*Finit[...] quam [...] incepe[...] pergit.

Iam cor ipsum petit: en artus officium negant.
Proh somnium! Quâm est hęc *Aqua* transitu difficilis!
. Agedúm nympha. Frigus hoc in flammas euadet modò.
. Abscede monstrum. Quale mihi virus ebibendum dederis?
Sylvæ præter vos monstrum habent, aut pestiferum nihil.
Ecce autem oculorum acies iam subitò deficit.
Ah *Alcine!* quid tam tardus es? tandem ad morientem veni.
Hoc solùm grata mihi mors, tuâ quod gratiâ morior.
O Pater! tua durities in hanc mortem filiam adigit;
Ignoscas mihi tamen. Et vos cœlorum numina,
Et tu præ cæteris Cynthia, amanti ignoscite.
Non patrem adeò quàm vos fugi: hæc etsi nocenti mihi
Mors subeunda, at *Alcino* (precor) innocenti parcite.
Ah *Alcine*, vtinam te videre fas esset, priusquàm moriar,
Sed vt te cernere possem, dubito; tanta nox oculos premit.
. Auh quid video *Cervine*? *C.* Caue ne te fefellerit *aqua* tua.
. Omnia volvuntur circùm: Labasco, morior: *Alcine! Alcine!* ahime! me!

SCENA. 6.

LEONISCVS, *& iydem.*

. In terram prolapsa est. Accurre *Ceruine*, accurrite reliqui.
Hei mihi! mortua est. Heus Nympha! audi: quid amantem fugis?
. Næ tu amans eligans es. O quantivis aquam pretij!
Quæ tam nullo negotio fœminas interimit: quot maritos noueris,
Qui ab hoc fonte aquam quotidie peterent? *L.* Derides etiam?
. Non, non: nunquid alibi huius examen *Aqua* videris? *L.* Nullibi.
. Tum falleris planissimè. *L.* Eheu! quàm friget illi manus adeò?
. Si mortua sit, habes consortem pacatam, & morigeram.
Quid ploras? prò mortuâ viuentem non pauci dabunt.
. An in re tam seriâ ludis? *C.* Oho. Ego sum asinus, & bestia. hum.
. Est hæc *lympha* virus. Quid me deciperet *Glaucus* pater?
Certè plorare iuuat. eheu. præter hoc damnum nymphæ meæ,
Iratam mihi Dianam nactus sum: quid faciam? Dic aliquid modò.
. Meum si consilium expetas, hum. audi. Fugiamus quàm citissimè.
. At de tam formosæ Nymphæ cadauere quid fiet interim?
. Pone hæc arbusta retrahamus, ibiq; recondamus placidè.
. Fiat. *C.* Quid stupes? quid tristis es? Semel moriendum omnibus.
. De hâc *Aquâ* tam malè cecidisse dolet. *C.* Serum id nunc nimis,
. O dilecta mihi! quanta per te sperabam gaudia?
Quin mortem huius nymphæ carmine celebremus funebri.
. Quo scilicet? *L.* Eo, quo Leporinam nuper defunctam fleuimus.

C. Age:

Age: non deero tibi. Agite. Tu *Leonisce* incipias.
*Sic oportuit: nunc illam amoliamur. *L.* Licet. *C.* Quid si vasculum
Ad caput ei apponas, vt videri possit arbitrariò
Venenum bibisse? *L.* Consilium placet. *C.* Quin citò, citò.
Effectum dedi. *C.* Auh ego sum asinus, & bestia: abah!
At ecce vbi pastor aduenit: properè fugiamus: properè, properè.

Leoniscus e... nit & fini... cant, pergi... Cervenus.

SCENA. 3.

ALCINVS *solus.*

Melanthen ad Admeti iam priùs accessisse *tumulum*,
Et hàc iuisse deinde, commonstrat hæc sola Cypria,
Hucvsq; non vanus sum. Idem testantur hoc Spiculum,
Hi Flores, & hæc Rosa, & hæc Fascia, & hæc Rosa posteà:
Sed in hoc multiuio quâ viâ præterea pergam, nescio.
An hàc ad Templum; an isthàc in densiora nemora;
Vel illàc in vallem Dianæ, vel hàc retrò ad casulas.
Eheu! quid agam? O pater! cur ominosa narrando somnia,
Moram infœlicem iniecisti mihi? Cur vanis timoribus
In veros me coniecisti? quibus factum est tædijs,
Admeti ad tumulum tardiùs vt accederem impius.
Atque, ò me infœlicem! postillà quid *Melanthen* amens, & iners
Nondum venisse ratus, deses ibi morabar illam, spiculum
Donec hoc eius non longè proiectum viderim.
At his argumentis, & illam abreptam, & me miserum scio.
Vbi illam quæram? si minùs festino, pereo: si nimis, pereo:
Qui minùs festinat, nihil inuenit; qui nimis, vbi semel
Errauerit, quanto magis festinat, errat magis.
At quid hoc? En vbi nymphæ corolla, en *Melanthes* vbi
Corolla iacet. Beati nuper flores, quis vobis ab illo capite
Diuortium fecit? sed vos miseros dicam, an fœlices magis
Hoc infortunium qui non capitis? aut quod mihi misero
Cum illâ diuortium est, infœlix patior, & sentio penitùs.
At, at! quid video? *Melanthen* ipsam. Heus *Melanthe*, quid agitur?
Hei mihi! nulla respondet: aut dormit, aut--ego--occidi!
At non dormiret tantis in angustijs, tam funesto loco,
Sub hac dirâ votifragorum *Rupe*. Quid ergo cesso miser?
Melanthe, Melanthe! Diemne cerno? dormiòne, an vigilo?
O Lux! ô Sol! ô dies cur non extinguimini protinùs!
An scelus hoc sustinetis? *Melanthe* pallet, friget, tacet.
Verùm fortasse non est hæc *Melanthe* mea, sed alia
Nympharum quæpiam. Quæcunque sis, formosa est nimis.

Quid itaq; hanc Rosam è spinis non extraho?
Ah *Melanthe*! *Melanthe* mea! Ego sum *Alcinus* tuus;
Quid me non alloqueris? Tardus veni, fateor;
Sed, vt te sic videam, velox, & citus nimium. Ecce vt *enu* caput,
Pulchritudinum caput omnium, motu reclinat non suo.
Stellas oculorum attolle; Stellas nox accendit aut aperit:
Quę nox execranda clausit, & extinxit tuas?
Cæterùm quo fato perijsse dicam? Nullius hic laniatus feræ;
Nec ferri vulnus; aut viperæ morsus; non tumor, non cruor, subest.
Omniq; Amorem extra morbo formosa caruit.
An vbi iam dilituit mortem inuenit? Hoc, hoc est,
Quo perijt vasculum; virus huic inerat paratum scilicet,
Vt nuptias exosas fugeret. Hoc primùm experiar; spiculo
Transfacturus, si quid fati supererit. *Melanthe!* non salutis poculũ,
Sed mortis propinasti mihi: libens accipio: ecce respondeo libens.
Hah! quid? hah! Etiam & iam frigus Lethale sentio.
Si sic pergitur, haud erit opus huius opellâ Spiculi.
Vt subitò membra pererrauit egelidus vapor!
Iam cerebrum impellit: iam Cordis arcem occupat:
Ecce stupore soluuntur artus horrido. Frustrâ tuus
Nos inuicem auellere studuit *Palemon* pater.
Vale *Melanthe*; quin salve potius. Quod vita negat,
Mors, quę consociat omnes, nos sponsos faciet.
Iam laxa flectuntur genua: vbi, vbi cadam? dum licet,
Melanthen accumbam propè. Venio, *Melanthe*, venio.
Quod reliquum est huius animæ læta morientis excipe.
Alia sperabam oscula, & amplexus alios:
Sed hæc haud ingrata sunt. Salue *Melanthe*, salue: vale.

SCENA. 4.

LEONISCVS. CERVINVS. ECCHO.

. St. Heus *Cervine* prodi; prodi inquam; quid ignavus renuis?
. Ignauus! Non desines ergo malè loqui, priusquam te desero.
. Fortis, amice, prudens, quæso prodi. C. Hoc aliud est. ah.
Quorsum autem? L. Dicam vbi prodieris. C. At priùs dictum volo.
. Fortasse revixit Nympha. C. Euge! quàm pulchrum delirium!
. Quid ni mortem affinxerit subdola? *C.* Quid tum postea?
. Dum rediuiua languescit, eam ad me deferemus. *C.* Hahahe. L. Parum est.
Quid sit factum invisere. C. Exorasti denuò. En me tibi.
. Heus *Cervine*, nympha, quam nos credidimus mortuam,
Ecce reuixit. *C.* At non tibi. Annon vides Pastorem qui iuxtà cubat?

L. Si

Si revixit, revixit mihi. Non patiar rivalem. C. At priùs (pidò.
Quid agant, obseruemus. L. Ah. Obdormiunt, credo, quiescunt, & silent op-
Adibo propiùs. C. Leonisce caue: audax videre nimium. L. Egon'
Vnum pastorem metuam? Hui! accede Ceruine citò, citò. C. Cito!
Vel lentè potiùs ad pericula. L. Quin propiùs inquam. C. Quid vis tibi?
Ah! Quàm tu venustus es comes? penè irascor tibi. Tuam sententiam
Volo, mortuine sint, annon. C. Voce illos inprimis excita.
Sohohow. Ecch. How. Amb. Hui! C. Vter eorum fuit? L. Tentabo iterum.
Sohohow. Ech. How L. Auh nemo fuit, sed Eccho resonabilis
Ab illâ rupe vocem reddebat vacuam. C. Pro certo habes?
Attende: audies. Sohohow. whup. Ec. Whvp. C. Iam tecum iuxta sentio.
Nunc ergo adeamus. C. Si spiculo pastorem confoderes priùs,
Inde liceret audacter. L. Oh ignaue! quid vsque metuis?
En vbi eorum arma proiecta resperguntur. C. Quid restat igitur?
Dicas volo, num tu item hos vitâ defunctos putes. C. Moueas
Illis brachia. Iam capita. Nunc arctiùs digitulos illis comprime.
Mortuos dignoscas, mortuos. Sed vnde mortem pastor consciuit sibi?
Modum quid quæris? factum constat: fortè ex eodem vasculo.
Quid agimus? hanc quoq; spem irritam video. C. Eamus properè,
Ne in nos huius homicidij nota relabatur. P. Paulisper mane.
His miseris, quam possumus, sepulturam demus. C. Quomodo?
Intra illud sepimentum referamus; est illic locus avius. C. Placet.
Nympham tollamus priùs. C. Iam grauior videtur, quam fuit modò.
Nunc Pastorem. C. Vix ausim illum contingere. L. Quid ita?
Nescio quid vultu minari videtur etiam mortuus. L. Age. Age.
Quos tibi metus fingis? Nvnc reponamus cætera, spicula,
Corollas, flores, & hoc vnà infœlix vasculum meum: quod quia
Nympham peremit hodiè mihi, summo habendum est odio.
Nunc eamus. L. Quò lubet. Si posthàc in nympham incidero,
Vi agam. C. Vi! L. Vi. Nimis ad dolum sumus inertes Satyri.

SCENA. 5.

Melidorvs.

O Encelade! summi contemptor, & perduellis Iovis,
Qui nunc propterea sub Aetnâ luctari, & niti diceris,
Est tuus ille cruciatus grauis, longè sed impar meo.
Hîc incumbit mihi læsum Dianæ numen, ibi
Sylueriæ inimicitia: hîc voti perfidia, ibi patriæ pernicies.
Hîc infamiæ metus, amoris ardor, & vltima desperatio.
Adhæc vicinum præcipitium: sed id in bonis numero.
In hoc solatium est, quod esse supplicium solet.

Quantum ex Aurorâ mutata mihi sors? tum Sylveria
Sponte diem antevertit, vt me sollicita perquireret.
Nunc me fugit, & silet, atque ne iuranti credit mihi.
Et quorsum, aut quò se fremebunda proripuit,
Perdiscere nequeo miser, aut in coniecturam euadere.

SCENA. 6.

ERMILLA. MELIDORVS.

E. Falala. *M.* Ecce aliud ex alio malum. Est & ibi pars sceleris mei:
Vt ridens incedit *Ermilla*! Non minor impietas,
Falsis quem afficere gaudijs, quàm dolore solido.
E. At hic flosculus malè collocatur; ad hunc modum erit aptiùs:
Flos iste nomen *Ermillæ* referet, at hic *Melidori* mei. Falala.
M. Quid, hanc tam falsâ lętitiâ non libero? *E.* Falala. Sic optimè.
Quàm hæc decebit *Melidori* caput? fa la. *M.* Faciam, faciam.
Egon' ab *Ermillâ* perire dicar? Eiusue causâ fidem
Fefellisse? men' ego aut *Sylveriam* debitâ priuabo gloriâ?
E. Aha; ò fortunatum hunc mihi locum! Ecce *Melidorum* vbi
Me cantillantem subausculat: non dabit operam
Frustrà; Illum non videre videbor, vt canentem audiat: *Falala.

SCENA. 7.

SYLVERIA. ERMILLA. MELIDORVS.

S. Cuia vox? Oh *Ermilla*! iam tibi de *Melidoro* tuo
Cantillare licet: sed hoc gaudium gaudebis haud diù.
E. *Melidorum* ad stuporem adegi cantilenâ meâ. Quin excutiam
[illegible]ute datâ. S. Ecce etiam *Melidorum*: quid agant
[illegible]seruandum. E. *Melidore,* quid agitur? *M.* Statur vt vides.
[illegible]ogo. *M.* Aliud non respondeo. S. Quàm sæuiter à principio?
[illegible]en? *Melidore,* quid est? An ergo displicui tibi?
Subrauca iam nuper fui: verùm aliàs placebo dociiùs.
M. Quà de re loqueris? E. Eiah! De cantilenâ, quam audisti modò.
M. Ego! falleris *Ermilla*: nullam audiui; aut si audiuerim,
Aduerti parùm. S. Ha! quid hoc? *E.* Sic amas *Ermillam* tuam?
Sic me contemnis? *M.* Meam! Contemnere non decet, &
Amare non licet. Neutrum est; nec te contemno, nec amo quidem.
S. Hoccine credibile est? *E,* Sanun' es? *M.* Non quàm vellē admodùm.
E. Ecastor credo: quid? annon amas *Ermillam* tuam? M. Meam!
E. Tuam: cuius amorem tam obnixè petebas hodie, iam modò.
M. Non petebā. *E.* Non petebas? M. Non petebam, non. S. O Cynthia!
E. Proh sylvarum numina! *Melidore, Melidore,* respice te.
M. *Ermilla, Ermilla,* ne stupescas: his ego te miraculis

Libera-

Liberabo. Ego te nec amo, nec amaui vnquam antehàc.
Non? M. Non: sed vocibus ambiguis te lusi. *S.* Quis crederet!
Quid ego tibi debebam ludibrij, vt id faceres mihi?
Nihil profectò: sed sic fuit necessitas, & consilium
Consultori pessimum. *E.* Atenim-- M. Quid enim? Sic fuit:
Et quod fuit, non fuisse nescit. Aliam amo.
Quæ sit ne roges: hanc enim & tu, & omnes scient breui.
Non est igitur à perfidiâ liberior. *E.* Hanc ego tibi
Corollam concinnabam. M. Vah, mille tricas eiusmodi:
Quas nuper commutauimus corollas, hem tibi tuam, reddas meam.
Non reddam; hanc ego seruabo tuæ perfidiæ symbolum.
Non facies. *E.* Faciam per Deos. M. Vi cogam ni reddas illicò.
Hem tibi perfide. M. Fateor; sed nunquam *Ermilla* tibi.
Ex hac ruptâ, & corruptâ corollâ, quanti te facio, vide.
Ecquid amatorum hoc faceret? *E.* Hoccine *Melidorum* decet?
At ò Dij immortales! cur me ludos factam vndiq;
Decreuistis? M. An hinc itura es? *E.* Vt te talesq; fugiam,
In densissima me conijciam nemora. Perfide, deceptor vale.

SCENA 8.

SYLVERIA. MELIDORVS.

At fortasse confinxit ista, quia me iam priùs viderat.
Nimio plus vixit, qui famæ superstes est suæ.
Quid itaq; non semel pereo, qui semper pereo miser?
Sylveria me votifragum habet; *Ermilla* perfidum, & mox impium
Omnes habituri. *S.* O veros mentis læsæ stimulos!
O *Sylveria*! *Sylveria*! S. An me fortè vidit? certè nominat.
O *Sylveria!* sic teipsam, sic ignoras *Melidorum* tuum?
Vt tuis assuetum delicijs, & formæ cœlesti tuæ
Ab *Ermilla* posse credas inescari sordibus? Proh Deum!
Citiùs hic noster Mænalus, & Phrygiæ Dyndimus
Sylvosa committent capita, quàm *Melidorus* tuus
Ermillam deperire poterit. oihime! *S.* Hei mihi! quid audio?
Non sunt hæ voces *Ermillam* amantis. O Diana, vereor
Vt hunc apud *Palemona* tuum sacerdotem falsi criminis
Insimulauerim: scire libet, prodire volo. M. Quid hîc asto lapis?
Oihimè! *Sylveriam* video. S. *Melidore*, iam vides,
Vt vitium in malo constat sibi. Amas, & non amas denuò.
Dumq; amas, votum corrumpis; post id, vbi non amas,
Amantem ludis, aut fallis, aut inconstantiâ fluctuas:
Quibus delinquitur omnibus: *Sic* vbicunque sis, in vitio

F 2 Versa-

Versaris--*M.* Quid hoc ad me? S. Nempe, quia spatio
Breuissimo, his auribus, & his te animaduerti oculis,
Et *Ermillam* amare, & non amare; ambire, & reijcere.
M. *Ermillam*, inquam, non amo. *S.* Credo: sed amasti. *M.* O *Sylveria!*
An tam vili me putas esse, & communi animo,
Vt *Ermillam* amem; vtque illam tanti faciam,
Pro quâ votum refigam. S. Est ergo votum refixum tibi.
M. Si amando refigi potuit. *S.* An fateris etiam? *M.* Fateor.
S. Nec pudet? *M.* Non pudet eorum, quæ nequibant non fieri.
S. At votum interdixit. *M.* Amor, votis, & fatis imperat.
Verùm *Sylveria*, ne te mei ignaram diutiùs teneam,
Os mihi, quod occlusit pudor, recludit necessitas.
Amo: ne stupescas; nam me virtus, & forma tua
Ad amorem impulit. Quid mirabunda tollis in cœlum oculos?
Quin potiùs miserere amantis, quod tibi soli cœlum dedit.
Ne me horrescas, ne fugias: si te voti religio territat,
Votum Cynthiæ datum nobis remittere Sacerdos Cynthiæ
Palemon potest. Miserere ergo amantis, & amantem redama:
Si quid vnquam tuus tibi gratus *Melidorus* fuit. Oihime!
S. O *Melidore!* sic vota sumenda, vt eadem ponas, vbi velis?
Sic Deos testes inuocas, vt eos, vbi lubet, ableges denuò?
O *Melidore!* mox, mox senties, quàm hic frustrà, & serò sapias.
Sed an sola digna tibi visa sum his impuditijs ego?
Egon' sceleri tanto materia facilis? Hoc castitas,
Hoc meus meruit rigor? Sic Dianam colui? sic colo?
Abi profane; iam nuper Dianæ causâ subirata tibi
Facta sum; at nunc iam inimica tibi fio causâ meâ.
M. An inimica futura es? *S.* Sum; ero. M. *Melidoro Sylveria*
Inimica! Iam satis, superq; vixi. Inimica *Sylveria!*
Inimica! inimic--ooh. *S.* Hei mihi in terram procidit.
Opem etsi religio neget, & neget inimicitia;
Non negabit humanitas. Eheu *Melidore* responde mihi:
Sylveria te vocat; Amare nescio: sed inimica tibi
Non ero. Egon' heu! homicida *Melidori* quondam mei.
Eheu! qualis hæc mortalium insania? stultitia quæ?
Quæ possessa negligimus, eadem amissa plangimus.

SCENA. 9.

MONTANVS, *cum choro Pastorum*, *& ijdem.*

Mo. Quantum fronti periurium inest? Quis non ex vultu crederet

Fidei *Melidorum*, Castitatis, & Probitatis vnicum
Arcadiæ exemplum? *S.* Heu *Montane!* eheu accurite
Pastores! *Melidorus* moritur. *Mon.* Vnde? *S.* A dolore subito,
Mo. Quid cessatis? Succurrite. Mortem etsi optandā nunc dolor daret.
S. Oihime! *Melidore!* *Melidore!* *Mont.* Quid hoc noui est *Sylveria?*
Modò *Melidorum* incusabas, qui nunc in tuo gremiò
Mollis, & lascivus moritur. *S.* Nemo mollitie moritur.
Sic & morientem fouere, non est lasciuia, sed humanitas.
Mel. Oho! *S.* Iam respirat. *Mel.* Puhfe! *Mon.* In pedes erigite. *Mel.* Oh *Sylveria!*
S. Quid vis? *Mel.* O *Sylveria!* tune inimica *Melidoro* tuo?
At quis me impellit? Hei mihi! quos video? *Mon.* Hos vides,
Qui te coram *Palemone* reum debemus sistere.
Mel. Nam cuius criminis? *Mon.* Rogas? Nemo vnquam nocens
Crimen ignorat suum. *Mel.* At aliquoties obliuisci potest.
Mo. Nequaquàm. Monitorem intus habet assiduum, conscientiam sceleris,
Quæ vel in somno vigilat. *Mel.* At pro nocente sæpiùs
Arguitur innocens. *Mon.* Leges non iubent innocentem mori.
At vos hunc corripite, constringite, & ad *Palemona*
Hinc mecum ducite. *Mel.* O *Montane!* etiam & tu crudelis mihi?
Mo. Non, non: Culpa tibi tua crudelis est; hæc homini
Tyrannus vnicus: hæc hominem vincit, coercet, necat.
Mel. At me culpæ quis arguit? *Mon.* Coràm mox audies rectiùs.
Mel. An tu *Sylveria?* Siles? Erubescis? Sat habeo.
Maluissem actorem alium. Pro te, quàm per te mori
Libuisset magis. Sed ignosco tibi; etiam & gratiam habeo.
Nam quid mihi viuendum ampliùs? Displicui *Sylveria;*
In Dianam peccaui: Illi in vindictam, huic in victimam
Lætus occumbam Sic idem amoris finem faciet, & vitæ dies.

SCENA. 4

SYLVERIA *sola.*

O Diana! An vt te colerem vitam amici prodere
Necesse fuit? Sic leges humanæ diuinis obstrepunt?
(Aiunt) virtutes non esse vnquam contrarias inuicem:
Qui fit, vt in me cum amicitiâ pugnet pietas!
Pugnauit, & pugnat: sed virtutum hæc morte meâ
Pugna dirimenda est. Per me *Melidore* moreris;
Sic iussit pietas: vt tecum vnâ libens moriar,
Iubet Amicitia. Quid aliud vis? Is verè amicus est,
Qui cum pro amico non possit, cum amico moritur.

Finis Actus quarti.

ACTVS. 5.
SCENA. 1.

PALEMON, SERRANVS, *Chorus pastorum*, *Ch. sacerdotum*, NICANDER.

SErrane, nunquid infœlix Iuvenis ad *Rupis* iugum
Perductus adhuc est? *S.* Clivosas per ambages nondum potuit
Rupis summitatem superare. *P.* Si non festinet magis,
Tardius hæc sacra peragentur. *S.* Qui ascendit, vt ruat,
Etsi lentè festinet, præproperus est. Sed non diu morabitur.
O iuvenum effrænes animos, tam solutos ad malum,
Quàm ad bonum quandoq; vehementes! Eâdem leuitate suscipiunt,
Quâ posteà deponunt vota-Sed, quem video? *Nicandrum* generum?
Maximè: nisi fortè (quod absit) cæcus fueris generum tuum
Vides: nempe *Nicandrum* Aristij; qui satis diues est--
Sed tu nosti patrem meum. *P.* Noui, noui: sed vnde tu?
E Sylvis vicinis. *P.* Vbi est filia mea? *N.* Nimirum *Melanthe* tua--
Quasi alia mihi sit. Responde. *N.* Scilicet sponsa mea--
Futura scilicet. *N.* Auh. at ita vt occœpi dicere-- *P.* Quid?
Ignoras istud scilicet. *P.* Quid ais? An tibi nubere negat?
Non negat mihi nubere (quod sciam) sed me fugit magnificè.
Vbi igitur est? *N.* Quæ? *P.* Filia *Melanthe*. *N.* Auh! de illa rogas?
Dicam tibi quicquid sciero. --de filiâ tuâ rogas? --de filiâ?--
Dicendum quoties? *N.* An rogas vbi sit? *P.* Maxime.
Est--fuit--hum--sane-nescio. *P.* Quid nescis? *N.* Vbi iam sit nescio.
Nescis? *N.* Nescio. Nec quod respondeam, aliud habeo,
Si esses Flamen, & sacerdos summi Iouis. *P.* Quid an irasci lubet?
Quid ergo non credis nescienti mihi? Ego tuam filiam
Ab hodierno sacrificio non vidi. Filia tua me fugit,
Et despicatui habet. Eam si conuenire licuisset, dixissem ei,
Quàm pater meus diues est, & abundans ouium.
Mittas oues. An *Melanthen* à sacrificio non videris?
Nusquam sanè Quæsiui, perquisiui totum hunc exinde diem,
Nec quicquam profeci. *P.* Audin' *Serrane*, in quem incidi infœlix locum?
Melanthe fugit. *S.* Speres meliora. *P.* Cur quæsitum non procurrimus?
Ne dixeris. *P.* Quid audio? Vin' me filiam amittere?
Qui gratis filiam amittere potest vnicam, aut habere non meruit,
Aut, quid sit habere, nescit. *S.* Publica priuatis anteferenda: Deorum tuis,
Ignosce Cynthia. Dixi pater. Indignus hac mitra tuâ est, qui tuis

Vt seruiat, sibi non imperat. At quid morantur adeò?
S. Sat citò aderunt. *P.* At heùs mi gener, vbi tuus est pater?
N. Aristium intelligis? *P.* An plures habes? *N.* Dijs gratia, satis is vnus est.
Nam--at quid illo velis? *P.* Quid id tuâ? Vbi is est?
N. An de patre loqueris? *P.* Cur hic (inquam) non adsit, scire velim.
N. An ergo nescis? *P.* Quid arbitrare? *N.* Ego nihil arbitror.
P. Quid hoc est, mi gener? Semper aliud respondes, ac rogo.
Rogo, vbi sit pater tuus, & quid agat. *N.* Nempe pater meus--
Is vbi illum esse oportet, bene nouit; & quod agat, habet.
Nam is diues est, & multos greges alit. S. Hahahe.
P. *Serrane*, qualem ego nactus sum generum? O tarditatem incredibilem!
Huius generi me penè pœnitet--S. At ò P*alemon* suspice.

SCENA. 2.

Iidem in scena, at in rupe MONTANVS, MELIDORVS, SYLVERIA. Pastores duo, & tres pueri. *Cum cinere, aquâ, vino.*

Mel. Ergonè S*ylveria*, vt me relinquas, non exorabere!
Quid insonti cum reo? Quid hanc famosam innocens
Rupem ascendis? *S.* Meumne tibi consortium graue est?
Sic olim amicus, sic nunc amator es, vt amicæ tædeat?
Mel. Non; ah! non *Sylveria*. Sed cùm tibi timeo, tum mortem mihi
Tua nunc præsentia grauiorem facit. Infrà si subsisteres,
Quàm lætus ad te desilirem? Atquî dum hic manes,
Grauabor vitam simul, & S*ylueriam* relinquere.
S. Iam videas, audiasq; quorsum huc venerim. *Monta.* Quid agis?
Mel. Oihime! quo te? S. Audies. Venerande sacerdos magnæ Deę,
Te appello. *P.* Quorsum? *S.* Leges Arcadiæ, vt hoc expietur scelus,
Vnum in mortem deposcunt caput. *P.* Rectè; quod &
Morti adiudicatum est. *S.* O *Palemon*! hoc vnum esto meum.
Mel. Tuum! An vni me non sufficere posse morti putas?
Mortemue totam solus recipere, nisi meas vices
Ipsa compleveris? An potiùs maculatum hunc sanguinem
Non posse placare credis tam castam Deam?
S. Neutrum credo. *Mel.* Quid ergo cupis vltrò mori?
S. Quia tibi nocitura mors, eadem profutura mihi.
Mel. Nam quomodo? *S.* Tibi dedecori, mihi laudi erit.
Mel. An in morte laudem is quæsitum? *S.* Nullibi inueniam citiùs,
Mel. Pro nocente mori opprobrium. S. Pro amico decus.
Mel. At nemo malus, amicus. S. Potest esse, qui fuit bonus.
Mel. O *Sylveria*! vicisti pietate, vis & amicitia vincere?
S. Nisi pro te moriar, vtrobiq; palmam perdidi.

Mel. Vbi vis

Mel. Vbivis faciliùs, quàm in hâc re palmam ferres.
An credis inuito me, pro me mortem oppetere?
Falleris, *Sylveria*, falleris. An me tam ignavum habes,
Vt non ausim mori? an tam iniquum, vt in ijs, ego
Quæ peccauerim, tu plecterere?Hoc vnum est, quod negem tibi.
S. Hoc vnum est, quod petam. Negas? Ad leges Arcadiæ prouoco.
Palemon, diuine legum custos. Ego *Sylveria* non *amans*,
Sed *amica Melidori*, pro *Melidoro* me morti voueo.
P. At non licet. *S.* Non licet de quo leges Arcadiæ cauent?
P. Quid ais? S. Vt amicus amicum à morte liberet?
P. Frustrà es. S. Hâc lege Mytillus olim Amaryllida
Deuicit; qui quia se nymphæ suæ victimam substituit,
Pastor inde fidus audit, & æternùm audiet.
P. Obtinuit olim apud seclum prius; at illa iamdiù
Lex antiquata est. Iusta nempe noluit Arcadiæ Dea,
Pro nocentibus innocentes perire. Summa iniustitia est,
Insontem è medio tolli, superesse reum. S. Agedum;
Melidore, vt pro te moriar, tu negas, nec leges ferunt,
Vt tecum moriar prohibebit nemo. Ius vitæ, ac necis meæ
Penes me est. *Mont.* Non est, sed penes Deos, qui vetant
Vitæ depositum abijcere quemquam iniussu suo.
S. Egon' vt viuam, postquàm iam amici vitam prodidi,
Nympharum odium, pastorum fuga, & vulgi fabula?
P. Non est virtus vitam odisse: Qui vitæ mala fugit,
Timidè moritur. *S.* Nulla si vos ratio moueat,
Vincat voluntas. Fœmina sum; quia lubet mori, mori lubet.
P. Vt benè moriare, patientia, non lubido facit.
S. Iam videte. *Mel.* Ah quid moliris? *P.* Cohibete væsanam fæminam.
Atq; asseruate. *Mont.* Animosa nimis virgo, quid agitur?
Peccas honestâ mente. Nuper vt esses in Dianam pia,
Huic inimica visa es; nunc vt sis amica, ne sis impia.
S. Ilicet. Vbiq; mors est. Quæ me nunc fugit, occurret alibi.
P. Verùm age *Montane*: damnatum debitam ad mortem para;
Dum nos hic infrà laudes potentis Deæ
Pro more cantu celebremus. *Mont.* *Melidore*. Iam longum tibi
Huic vitæ dicendum est vale. Ergo si quid ardeat
Mens in extremis eloqui, eloquere, vt inde semper taceas.
M. O Diana! tuum violavi numen; sed violati numinis
Omnem in hoc meum refundas iram caput.
Parcas Arcadiæ; nec castiges flagello publico

Culpam

Culpam priuatam. O *Sylueria* ! mortis meæ solamen vnicum,
Ne totus moriar, viue. Et vos salutis nostræ præsides,
Incolumem hanc seruate, donec hæc eius abscesserit
Aegritudo, vel lenior fuerit. *S.* Abscesserit ! *Mon.* Tace.
Iam sacra fiunt, tace. Reprimite importunam virginem.
Tu perge. *Mel.* O *Sylueria*, tuo si sedeat animo,
Mortem occumbere, quò vaga volitabit vmbra mea ?
Vbi requiescet exul anima ? Sin supervixeris,
Non omnis moriar: sed anima calenti exuta sanguine,
Et hac inutili membrorum compage, ad te pura, volitabit, & pia.
Viue igitur. An promittis ? Cedò dextram. Quid renuis ?
Haud impudicum est morientis osculum. Hæc manus
Os in perpetuum claudat, & dulci tuo nomine
Lingua silescat mihi. O *Sylueria, Sylu*--. *S.* Oihime ! *Mon.* St.
Dixisti? *Mel.* Hum. *Mo.* Iam supplex inflectas genua, vittatam exue
Corollam, hîc magnæ sacrandum Deæ. *N.* O *Serrane*, dic mihi :
An præcipitandus ab illa *Rupe Melidorus*? *S.* Annon vides?
At pater eius *Alteus* hoc securus nescit: vidi illum nuperè
In valle Dianæ. Quid si accersam? *S.* Si placet, potes. *N.* Fugio.
Iam cedò *Cineres* puer.*

* Dum Montanus cineres Melidoro in caput inspergit, vnus e choro Sacerdotum in proscenio canit, -
Huic succinit totus chorus in proscenio.

Potens Arcadia Dea Diana ;
Vt CINIS *hic tua tepescat ira.*
Tuq; ECCHO *nostras duplicato preces.*

--Cui aliena in Rupe tanquam Eccho nonnullas voces reddit.
Cui sæpe respondet vt Eccho alius Chorus e Rupe.

Iam *Lympham.*

Potens Arcadia Dea Diana ;
Omnis hâc AQVA *mundetur culpa.*
Tuq; ECCHO *nostras duplicato preces.*

Iam *Vinum.*

Potens Arcadia Dea Diana ;
Gaudium hoc VINO *reddatur nobis.*
Tuq; ECCHO *nostras duplicato preces.*

Venerande *Palemon* paratum est.
O *Magna*, & Potens Arcadiæ Dea, quæ regione Tauricâ
Iras olim posuisti ob huiusmodi victimas (quia
Magno tibi pretio fuit, vt qui votum præceps superat,
Et ipse præcipitio rumperetur) iras condignas minue:
Et tuos Arcadas pacata respice. *Qui peccauit*, moritur;
Et moriatur. Iam *Montane* tristia, sed sacra Dianæ perage.

SCENA. 3.

MONTANVS, *& iidem excepto* NICANDRO.

Mo. *Serrane*, quid illud, quod in sacro sepimento iacet? *S.* Quid vides?
Mo. Inspice. *S.* Oihime! *P.* Quid est? *S.* Oihime! *P.* Quid palles? quid stupes?
Quid mutescis? loquere. *S.* Eheu! *P.* An lupum vidisti, vel Medusæ caput?
Inspiciendum video mihimet ipsi. S. Ah non. *P.* Quid ita non?
S. Quin fugis procul. *P.* Egone? Iubeo mittas. O superi!
Hoc vno plus vixi die, quàm par fuit. Quid vident oculi
Seniles? *Melanthen* cum pastore latitantem! ô scelus!
O prostibulum! *S.* Eheu! longè aliter ac res est accipis.
Rursus inspice. O *Alcine*! ô *Melanthe*! sic adornatis fugam?
Sic in Elida profugitis? *P.* At oh sacra Deorum numina! O!
S. Amici pastores, miseros hos huc in medium producite. *P.* O!
S. Iam *Alcinum*. *P.* O! *S.* Vos hanc, vos illum quantum licet,
In vitam reuocate. *P.* O! M. *Serrane* quid faciendum? S. Rogas?
Annon locum hunc alieno cadauere pollutum vides? lustrandus est.
P. O! O! *S.* Infœlix atq; iuvenis ad templum retro
Ducendus, Vt sacra lustretur lymphâ. *Mo.* Age *Melidore*. M. Oihime!
Mo. Ah ne syllabam. *P.* O! *S.* Nihilne ergo vitæ superest?
P. Eheu! Ecce cum lachrymis vox tandem invenit viam.
Eheu! Sic tu M*elanthe*, & sic tu *Alcine* iaces?
Non Parthus arcu tremendus, aut Scytha vagus
Vitam eripuit vobis. Facinus agnosco meum:
Ego vos peremi. Eheu M*elanthe*! maluistin cum *Alcino* mori,
Quàm cum patre viuere? sic miseram foues canitiem?
Filia sic colis patrem? Sic fœminis interdicta placent,
Vt in ea cum periculo, & cum exitio ruant?
O æterna Sylvarum numina! quid in me admisi sceleris
Dignum hac orbitate? vt pater senex, filiam
Vnicamq; iuvenemq; vitâ prævincam. O malè
Diuisa fatorum stamina! At tuo si nil adijciam,
De meo sed detraham. Nam huic infortunio
Non gemitus, non lachrimæ pares: Mors est levamen vnicum.
S. Quid mortem cogitas? quin potiùs causam exquirito,
Vt si in vitam reduci nequeant, authores sceleris
Supplicio condigno puniantur. Dolorem vindicta minuit.
P. An vim illis factam comperistis? *S.* Non. *P.* Tum huius authores necis
Ego, & Amor sumus. Hanc itaq; mortem morte luam.
S. Hoc vasculo perijsse illos oportet, nam huic toxicum

Inesse suspicor. *P.* Quid inde? *S.* Vasculi dominium
Huius conscium veresimile est, aut guarum facinoris.
P. Quisnam is est? *S.* *Leoniscus* Satyrus. Hoc illum sæpius
Visum esse vidi. *P.* Certumne? *S.* Ne dubites. Audiui etiam
Illum non semel hæc prope loca conspectum hodiè.
P. At quid prosunt ista? quorsum has nugas narras mihi?
S. Dum nos *Leoniscum* inquirimus, tu ad templum intereà
Exanimes istos deportandos cura: ibi quid possint preces,
Experire. *P.* An prece mors exorabilis? *S.* At exorabiles
Dij, qui morti moderantur. Porrò si qua spes maneat,
Haud alibi citiùs inueniant salutem: si nulla, nec alibi
Sepulchrum. *P.* *Serrane* dolori, & consilijs me totum trado tuis.
S. Tollite obsecro sponsos lachrimabiles. Quod vita nequit,
Sæpe mors, suo sed modo, facit. *P.* O spes mortalium
Mendaces, & ineptæ! Sunt ne hæ nuper speratæ nuptiæ?
Quàm senes imperiti sumus omnes amoris arbitri?
Ecce pro voluptate, mæror euenit; pro gaudio, lachrimæ;
Pro coniugali, sponsa feralis; pro thoro, rogus;
Pro thalamo, sepulchrum. Hoc possunt irati cœlites.

SCENA. 4.

NICANDER. ALTEVS.

N. Quin propera, propera: Adeò estis senes tardigradi--
Ecce me; etiam saltare iuvat. *A.* Ohho! *N.* Pater meus Aristius
Te cursu superasset, quamuis is multorum gregum curam gerat.
A. Ohho: pugse: Vbinam sunt? oh! Nunquid serò accessimus?
N. Nempe rectè mones. Nullus hic profectò *Melidorus* adest.
Ecquid opera nobis perijt? *A.* Quid? Adolescens, an iuvat
In re tantâ senem ludos facere? *N.* Esne tu *Alteus Melidori* pater?
Sumne ego *Nicander Aristij*? qui -*A.* Quid tum? *N.* Tum vera sunt,
Quæ tibi dixi in viâ veniens omnia. *A.* An præcipitio
Mulctandus mihi filius, nec quisquam id renuntiaret tamen,
Vt saltem morienti valedicerem? fac leges Arcadiæ
(Quod verum est) eodem damnatos statuere puniendos die:
An quis vitâ decessurus, extremos vnquam omitteret
Patris amplexus? oscula extrema? & extremas lachrymas?
N. Quis te vnquam inuenisset sub illis recubantem fagis,
Nisi ego *Melanthen* quæritans te fortè vidissem modò?
Annon credes mihi? *A.* Me nihil hîc videre, cur tibi credam, gaudeo
N. Officium vltrò oblatum quo sit nimirum loco, video.
Ego quia tuum filium, nempe *Melidorum*, amo medullitùs,

Huius rei te currebam monitum. An sic rependis gratiam,
Vt non credas mihi? pish. *A.* Noli obsecro excandescere.
N. Non credis? Si sit vnquam præcipitandus iterum,
Credes mihi, si dixero. En adest, qui etiam interfuit.
Ab illo quæras.

SCENA. 5.

MONTANVS. *Alt. Nic. & tres Pastores cum thure sale, & aquâ.*

M. Quàm hic Arcadiæ lachrimabilis illuxit dies!
Verùm nos, quod nostrum est, exigamus. Nam ad occubitum
Nostræ pertæsus miseriæ, festinat Sol, cuius ante abitum
Hæc Cynthiæ sacra finienda. *A* O *Montane*, quid paras?
Nicander iste. *N.* Iste- *A.* Nescio quid triste de *Melidoro* retulit.
N. Iste! Narraui quæ vidi, sed ille non credit mihi.
Sumnè diuitis Aristij filius? --*M.* Altee ad templum propera:
Vbi, quid factum sit, rescifcas ipse. *A.* At tu dic potiùs.
M. Alia me manent. Inuisas ipse, nihil respondeo.
A. Abeo igitur. *N.* Ego te comitabor etiam, vt clarè sciam,
An quæ dixi vera sint. Nam profectò vix egomet credo mihi.
M. Cedò Thymiaterium, salem cedò, cedò lustralem laticem.
O Diana! castum cuius, & divinum numen casta decent,
Et pura, iam sacer fiat, & purus iste locus, &---

SCENA. 6.

ERMILLA, LEONISCVS, *Sat. & ijdem.*

Ohho *Montane!* ò pastores miseræ subvenite. *M.* Impure Satyre--
Annon vides, quibus me tractauit modis? ecce femur mihi
Sagittâ traiecit, & humerum. Amores si nefas consequi,
At vindictam liceat. *M.* In nymphâ turpe est vtrunq; tibi.
At turpe non fuisset, nisi inermis fuissem, & suauis ille meus
Tam ignavus fuisset, socius; sed ille mihi pænas dabit.
Quàm Satyrus hic advenit opportunè? *Serranus* illum queritat.
At tu nympha beata es, quæ me sic eluseris. Vide
Qualia mihi vulnera dedisti. Annon te miseret mei?
Vnum des basium in medicinam mihi. Saltèm vnum. *M.* Abstine.
Ermilla templũ versus confugito. *E.* Non ausim. *M.* Audacter licet.
Nos hic Satyrum detinebimus, Serranum cis templum convenies.
Iubeas huc quàm primùm acceleret, vt hic reperiat Satyrum.
Abijtne nympha? vulnerum meorum morsus iam primus sentio.
O Dyctamnum dictamnum! M. Sine opitulemur. *L.* Oh! M. Sine.
At ego Dyctamnum volo. M. Maneas aliquantum, faxo habeas illicò.

SCEN.

SCENA. 7.

SERRANVS *cum pastoribus & iidem.*

ic *S*atyrum esse dixit nympha iam facta nobis obviam.
tq; eccum. O *Montane Palemonem* adeas, eiq; nunties,
os Satyrum convenisse. Ores dolorem intermittat, huc admigrans oppidò,
t filiæ perscrutetur fatum. *M.* Adeste: fugio, fugio.
u Sacrifice, quid tibi meo cum vasculo! S. An tuum hoc?
eum est: Pan olim patri dedit, & pater mihi.
ympham, & Pastorem vitâ priuauit hoc vasculum.
Dyctamnum dyctamnum! non est meum, non agnosco: minimè, minimè.
ox emissa reuocari nescit. Tuum est. *L.* Præ dolore vulnerum
cautus impegi. O Dyctamnum, dyctamnum! *S.* Quid non evellis arundinē?
ericulum est vt maneat ferrum: Dictamnum oportet comedere,
t ferrum sponte sequatur, vel sine dolore decidat.
d vasculum itaq; redi. Cuiusmodi venenum tradidisti miseris?
t nulli sunt: quos tu miseros prædicas? *S.* Designasti locum oculis:
m scio conscium esse te tam magni sceleris. *L.* Si forem; an ego
ub legum vestrarum iugo trahendus? *S.* Non id quæritur. Modum
uo periere, cupimus ediscere, vt intelligamus posteà,
qua superfit ijs ad vitam via. *L.* Ecce vbi *Glaucus* pater
licitus advenit; ab illo quære. *S* Etiam & *Palemon* adest: Optimè.

SCENA. 8.

GLAVCVS, PALEMON, CERVINVS *& iidem.*

rogredere *Cervine*: nil metuas: duc me ad filium.
ihime! *G.* An vulneratum vidisti? *C.* His oculis. *G.* oihime.
umanam etsi supra sortem Satyri viuimus, atq; ideò
ortalium prisca gens nos semideos coluit:
amen vita nobis est & mortis, & doloris patiens.
ictamnum itaq; quod modò carpsimus, para sedulò.
ihime! *Serrane* quid agimus? *S.* Quâ ratione tibi filia perijt,
discas mox. *P.* Quâ viuat velim, quâ perijt, si perijt,
rùm refert. *S.* Imò permagni refert. Sine me. *P.* Oihime!
n Leoniscum; *G.* Vbi? *C.* Duobus constipatum Pastoribus, vide.
Gnate mi! *L.* O dilectè parens! Dictamni quid habes?
em tibi. *L.* Adiuva me mi congerro lepidissime.
avis tu quidem sodalis es. *G.* Mitte isthæc, medicinæ operā dato,
t quid hos moramur impuros Satyros? S. Quæso mane.
n comedisti? *L.* O maledicta nympha! scelerati calami!
i sat herbæ deuorasti? *C.* Aut mane parùm; iam vel sponte effluit.
n & ferrum vná prodijt? *C.* Vide. *L.* Cedò scelestos arundines.

G. Quid in sagittas sæuis? L. In sagittatricem sæuirem itidem.
P. Oihime! *Serrane* quid moras nectimus? S. En Satyrum adorior.
Glauce, quo iam nuper desiderio filius tibi tuus fuit,
Eo sunt & alijs eorum liberi parentibus; per hoc te, per tuam
Venerandam obtestamur canitiem-- G. Siste; precari desine;
Rem totam *Ceruinus* veniens enarrauit ordine.
Heus gnate; Ab Ericinæ fonte aquam petebas. L. Maximè:
Ab eo, quem tu dixisti, fontem Ericinæ dictum antiquitùs.
G. Aquam qui biberunt amatores erant. S. Supra modum.
P. O vtinam & iam essent, vt posthàc essent coniuges!
G. Num quidquam aquæ in vasculo superest? S. Pol credo dimidium.
G. Quot horæ fluxæ sunt ex quo aquam hauserunt? L. Totidem
Quot hìc Satyri sumus. G. O salua res est, tu tamen accurrito;
Aquam illam in os illis infundito. Fuge, vola. S. Fugio, volo.
P. O *Glauce*! an quid spei reliquum, vt reuiuiscat filia?
G. Tuane hæc fuit, ô magnæ sacerdos Cynthiæ? P. Oihime!
G. Spei quid sit reliquum, audies. Audi. Præses Amoris Venus
In filij quæstione (qui tum, vt aliàs sæpè, matrem fugerat,)
Arcadiam hanc nostram perlustrauit. Hìc montes pedibus,
Et saltus emensa roseis, pene expes, at lassata penitùs,
Ad hunc (sic notum, dictumq; olim) Ericinæ fontem appulit.
Hic vitreo mirificè refota latice, dum pueri conquerens
Nequitias, in pueri scrutinium instaurandum meditatur iter,
Diana, quæ suas inter nymphas Cupidinem prehenderat,
Ad Venerem illum adducit, sed vinctum, & bene ligatum manus.
Rogatq;, vt in diuitum domos, & aulas Principum
Puerum è syluis abducat, & nemorum solitudine.
Mater amoris annuebat læta, sed vt fontis beneficium
Compensaret aliquâ, hac dote fontem donauit, vt *Singuli*
Hanc aquam qui biberent, eius amore protinùs
Exardescerent, qui poculum porrexerat. Hìc irata Cynthia,
Quid agis? (infit) At ego *Moriantur omnes volo,*
Qui illam tum priùs amantes bibunt. P. Oihime! G. Subiunxit Venus;
Sic mortuis, eadem si infusa, vel affusa lympha fuerit
Bis senas horas infra, vitam reddendam statuo.
P. Quid ais? *An ex epotâ hac aquâ non amantes amant?* G. Maxime.
P. Et *amantes moriuntur*? G. Planissimè. P. *An sic mortui*
Hac aquâ perfusi reviuiscunt? G. Rem tenes. P. Euge ô Venus!
G. Iam *Palemon* hinc speres ad viuos redituram filiam.
L. Cur totam hanc fabulam mihi non prædixti pater?

Quæ

Quæ rogabas dixi: nempe vt nymphâ te natum cognosceres,
Quam olim hæc *Aqua* conciliabat mihi. *L.* Cur tacebas cætera?
Iussit Diana, modò ne quis grauior casus incumberet.
At vnde hæc constant tibi? *G.* His tum fortè interfui.
Quid hunc fontem non norimus Arcades? *G.* Iamdudũ hunc Cynthia
Demolita est. Extabat olim lauacro prænobilis,
Et è viuo saxo sedilibus: nunc musco, & situ deformes vndulæ
Hinc inde subnascunrur ignorabiles, sed alicubi puræ tamen.
O Dij immortales! hanc mihi spem conseruate integram.

SCENA. 9.

ALTEVS *& iydem.*

O *Palemon*! ô fœlicis filiæ pater fœlicior! ô primus mortalium
Ex orbo factus pater! *P.* An reuixit *Melanthe* mea?
Reuixit. *P.* O Dij! ô Diana! date, vt non emoriar gaudio!
Heus senex an viuit nympha mea? *A.* Tua? *C.* Hahahe. tua!
O me inuenustum! non est, fateor: sed ah quàm facilè fuisset mea?
Tace. *P.* O *Altee*; de tali nuntio quid tibi retribuam?
Aut quid *Glauce* tibi? *A.* Tribuas mihi *Melidorum* meum.
. Ah *Altee*! leges non ferunt. *A.* Ferunt & exposcunt etiam.
Quot argumentis euici Laconem eum esse, non Arcadem,
Et propterea legibus Arcadiæ liberum? *P.* An Arcadem
Melidorum esse negas? *A.* Nego: namq; expositum in Arcadiæ
Confinio vagientem olim repperi; & exinde filij loco habui.
Hoc in templo probare tibi volui; sed aures tibi dolor occluserat.
Montano & *Serrano* persuasissimum feci, qui me nuntium tibi
Præmiserunt. *P.* Liceat priùs renatam videre filiam,
Inde, quicquid sit, beneuolus exaudiam. At vos benigni Satyri
Et tu *Glauce* pater, filiam cui debeo vnicam,
Adeste nobis: fiet hac nocte conuiuium, fortasse nuptiæ,
Vos etiam voco. *G.* At non venimus. *P.* Non? Gratiam habeo:
Vulgus pastorum pars Satyros horret, pars fugit, pars stupet,
Mirantur omnes. *P.* Gratum foret. *G.* Sed parum conuenit.
P. *Altee* ad templum properemus: *Melanthen* viuam dum video,
Demorior; valete. Properemus *Altee:* Deorum beneficia
Frigidè qui capit, & lentâ manu, peringratus est.
L. At heus senex, cura reddatur mihi vasculum. *P.* Curabitur. *L.* Vale.

SCENA. 10.

GLAVCVS, LEONISCVS, CERVINVS, *Satyri.*

G. Quas tu hodie turbas dedisti? *L.* Ego? tuus *Leonisculus*? hah.
G. Imo tu. *L.* Vnde! quomodo mi pater? *G.* In hâc nymphâ gnate mi.

Et

Et ab hâc aquâ. *L.* At, ô mi genitor, mi pater, dic seriò:
An non tu olim nymphas amasti? an & nunc non amas etiam?
G. Hoc ætatis! Ah ætas illa iam diu præterijt, præterijt--
L. At ah -- sed amas vsque paululum; ne paululum pater? ah ne paululum?
G. Hahahe fortasse paululum, sed id perpaululum est. *L.* Quid igitur
Filium hoc nomine reprehendis? *G.* Non reprehendo: laudo potiùs,
Meum agnosco: sed te vulneratum nolui. *L.* Parum est.
Ex hoc dictamno reualuit humerus, & femur: saltare iuuat, heigh.
C. Quid ergo? annon me amas? Ego dictamnum legi, & tibi
Comedendum dedi. *L.* Imò per te stetit, vt vulnus acceperim. *C.* Quom
L. Rogas? si à tergo nympham oppressisses, sicuti iusseram,
Huic malo præuenisses. *C.* Hostem à tergo! pish non virtus, sed dolus es
Tum fœmina fuit. An credis dolo fœminas vincere?
L. Certè non posse vinci credo. Sed dolo dolosas capere, non est dolus.
G. Quid inter vos sermones inutiles seritis? redite in gratiam;
Atque nos hinc auferamus; nam sol pene est occidens.
L. Vin' me cum illo in gratiam redire? *G.* Volo. *L.* *Ceruine*, patri meo
Quid debeas, vide; amo te, cedò manum: heigh. *C.* Aequum facis. hei
G. Rectè facitis. *L.* At heus pater, an tu amas tuum *Leonisculum* ha!
G. Amo te. *L.* Vin' etiam quâ mihi nympha concilietur hâc aquâ
Viam præmonstrare mihi? *G.* Volo. *C.* Et mihi. *G.* Quantum dabitur.
C. Quantum dabitur! *G.* Certè. Namq; olim facile id fuit,
At (vt sunt hodie fœminarum mores) factu perdifficile est.
C. Quamobrem. *G.* Quia vix vnam è mille reperias puberem
Et viro maturam, Cupidinis & amoris expertem fœminam.
C. Quid tum? *L.* Quid tum! hah. Mortuas hæc aqua, non amantes facit,
Quas amantes inuenit. Siccine audis hunc Genitorem meum? hah.
Pish, quando ineptire desines? *C.* Quando tu mihi malè loqui.
G. Mittite iurgia; atque eamus. *L.* At tu dic priùs, mi pater, mi genitor,
Nunquid amas tuum *Leonisculum*? hah. *G.* Dum quod te dignum est facis.
Quin abimus inquam. *L.* Saltemus abeuntes. *G.* Pish. *L.* Frustrà non vis.
Sequimini: heigh. *C.* Heigh. *G.* Ab amore ineptire, sapere est.

SCENA. 11.

ERMILLA *sola*.

Dij me! en vbi Satyri: Qualis effulsit hodiernâ mihi lux?
Quoquò me verto, in aliquod infortunium incido.
Euge! saltantes abeunt; satin' abiere? Quid hàc, quà cœperam,
Domum non pergo? In templo quæ fiunt, ferre nequeo.
Alcinus Melanthen amplectitur: filiæ periculo
Motus *Palemon* amori cessit, & filiæ delectui.

Meli-

Melidorus quia patriâ Lacon, legibus Arcadiæ
Solutus est: & licet is vitam vivit, *Sylveriam* perit.
Ab vtroq; delusa quid faciam? Primò certum est hoc mihi,
Non mori. Egon' ab eorum iniuriâ mihi factâ moriar?
Egon' quia me laudârunt, & basia mihi dederunt, moriar?
At non vera erant basia: In corde falsa, sed in labijs verissima.
Non moriar igitur; sed facit contumelia recens
Vt non feram tam invisum spectaculum: ergo concedam hinc aliquò.

SCENA. 12.

NICANDER, ERMILLA.

Ermilla, heus *Ermilla*, quo te? respice. *E.* Tune eras?
Iubeo salvere sponsum elegantem. Vbi nova nupta tua?
Tantilli non facio: tu verò bibe; bibas. *E.* Quid? *N.* Bibas modò.
Quorsum? *N.* Bibe obsecro. *E.* Quamobrem? *N.* Bibas solummodò.
Annon alius tuam *Melanthen* amplectitur? *N.* Tu modò bibe?
An ex illo poculo? *N.* Nempe bibas. *E.* Nempe nolo bibere.
Annon illìc aqua est, quæ *Melanthen* extinxit? *N.* Et quâ vixit denuò.
Apagè poculum mortiferum. *N.* Eugè poculum Amoriferum.
Illud sat scio; hoc nescio. *N.* Nescis, quid factum sit *Sylveria*?
Quid? *N.* Annon interfuisti? Ex hoc vasculo amat *Sylveria*.
Quem amat? *N.* *Melidorum*. *E.* Quid garris mea Siccitas?
Quod verum est. Annon vidisti cùm *Sylveria* sacerdotem accederet?
Quomodo ille nempe *Palemon*, substraxit ei, quod habuit, cingulū,
Tum illam ter ad sinistram circumrotauit, & ad dextram toties?
Quid ais? *N.* Nonne vidisti? *E.* Non: sed plura vidi, quàm volueram.
Quomodò? quamobrem? *E.* Tu perge. *N.* Quo, (vt occepi dicere)
Quo facto, *Sylveria* poculum hoc à *Melidoro* capit & bibit,
Et nunc amat. *E.* Quid narras? *N.* Quod omnes clamitant.
An ergo *Sylveria* votum revocavit? *N.* Rectè rectè: id est, id fuit,
Et nunc ei amare licet. *E.* Sed an amat? *N.* *Melidorum* amat.
Sed vnde constat tibi *Sylveriam* amore captam? *N.* Vidi cum biberet;
Vidi, cùm dextras coniungerent, & cùm dextram eius *Melidorus* retinuit,
Illa nihil aversa permisit amanter. *E.* At quid dixit intereà?
Nihil. Sed erubuit, & in terram coniecit oculos. Ego nihil vidi prætereà.
Sed omnes sic illam mutatam mirabantur immanissimè.
Verùm quid hoc ad me? bibas *Ermilla*, si biberes, hoc lepidum foret.
Quis tibi vasculum illum tradidit? *N.* *Serranus*, & hoc quod aquæ reliquū est.
Quorsum? *N.* Vt vxorem compararem mihi. Inde, quia te amo plurimùm,
Te præ ceteris in vxorem ducere cupio. Quin bibis igitur.
Vin' vnum ergo mihi dicere? *N.* Oh. *E.* Sed seriò? *N.* Ohho, quid est?

E. Verè dicas velim. *N.* Oh dubitasne? *E.* Quot greges alit pater tuus?
N. Dicam. In valle Dianæ tres--*E.* oh tace. *N.* Sub Centauri nemus
Duos-*E.* oh tace. *N.* Ad ripas Ladonis duos, eosq; ovium pinguesce
Ad--*E.* oh tace. *N.* Ad---*E.* tace *N.* Annon dives est pater meus A
E. Imò, imò, & multos greges alit. *N.* Quis? *E.* Nempe Aristius.
N. Au verum dicis; quin bibas. *E.* Cedò vasculum. *N.* Vin' bibere?
E. Cedò. *N.* Quorsum inspectas? effundas aquàm, quæso, cave.
E. Annon hic insunt etiam oves patris tui? *N.* Siccine sapis?
Oves in cucurbitâ? vin' bibere, vel non bibere? tempus fugit.
Et iam à templo hic aderunt, *E.* Qui? *N.* *Palemon*, & reliqui.
Viden' etiam, vt nubes glomerantur? iam iam sperantur pluviæ.
E. Quid eò? *N.* Eò properabunt magis. *E.* Certè non adverti prius:
Complebitur Oraculi fides, iam postquàm ad vivos rediji
Cum *Alcino Melanthe*: sic enim habuit oraculum.

IMBrem terra bibet, de cœlo quando redibunt
In vitam, vitâ qui caruere suâ.

N. Terra bibet, sed tu non bibes. *E.* Abscedas à me paululùm.
N. Tum tu me fugies, & aquam vnà celestem auferes.
E. Non faciam. *N.* Hum--*E.* Iuro tibi. Est hic divitis Aristij filius;
Me amat; ego si illum amarem contrà, foret is mihi
Paris, & Hector, & Apollo. Amor virtutes aut invenit, aut facit.
Hanc igitur aquam experiar. Certum est. ha! Neminem amo, nemine
Nicander adesdum. Des hoc mihi in manum vasculum.
N. Libenter. Quid facies? *E.* Videbis. *N.* Per Deos bibit.
O Venus! ô diva venus! Quid agitur? dulcissima, quid agitur?
E. Dicam statim. Certè cor mihi salit, vruntur præcordia.
N. Quid oculos in me traijcis? quid siles? quid gemis?
E. Aut egomet alia mihi, aut tu mihi videris alius.
N. An me amas? *E.* Non odi. *N.* Non me ridebis? *E.* Ego te contumelijs
Non dignum deputo. *N.* An liceat ad te accedere? *E.* Ecce non fugio.
N. An licet manum tibi contingere? *E.* Quid eâ vis? *N.* Nempe nihil.
E. Hem tibi, nihil negare possum. *N.* Vin' mihi nubere?
E. Nisi tu mavis aliam vxorem ducere. *N.* Egon'? Profectò-O Venus!
E. Audi; veniunt à templo audi, audi. *N.* Non veniunt: nihil audio. (
E. Fidemne coniugalem das? *N.* Do; iuro etiam insuper. *E.* At nos
Admisceamus. Sanè tam me mutatam penè pudet. Sed tuum est ô Ve
Tu facis vt hic *Alcino* mihi sit, & *Melidoro* pulchrior.
Sine Amore virtus vitium est, & forma deformitas

SCEN.

SCENA. 13.

In quâ pompa sequens cum triumphali cantico ducitur: cuius--

Viator.

1 2
3 4
5 Cantatores & 6
7 Cythariſtæ. 8
9 10
11 12
13 14
15 16

1 Iuvenes paſtores. 2
3 4
5 6

Alteus. Ariſtius.
Melidorus. Sylueria.
Nicander. Ermilla.
Alcinus. Melanthe.

PALEMON.

1 Pueri ſeruientes *veſtem Palemonis Sacerdotalem diffluentem manibus à terrâ ſubleuantes.* 2

Montanus Serranus

1 Paſtores *iuvenes Palemonis famuli.* 2

--ad finem, PALEMON *diuino afflatus numine, in hac verba prorumpit.*

Hah! Heus ſuſtinete me aliquis: Diuino me numine
Iam ſubitò repleri ſentio. O Diana! ſiue tu ſis, ſiue tuus
Apollo frater, ſeu quis Deorum alius, plenus ſum Deo.

Quid stupetis? Non est hæc *Arcadia*: sylvas videtis Britannicas,
Et prata, quæ *Chamus* antiquus alluit: *Chamus*
Fidis pastoribus, doctisq; Musis inclytus.
Ad has sylvas, & hæc prata REX SERENISSIMVS
Olim adveniet, Præsidium Musarum, & sylvarum decus:
Qui *Sigebertos* vestros, & *Aluredos*, *Edwardos* etiam,
Et *Henricos* pietate, atque artium amore superat.
At quid dixi? *Adveniet! Advènit*: IPSVM videre videor.
O fortunati pastores! HVNC omnes inflexis genibus
Adorate. Ibi florescunt sylvæ vbi Reges Musæ colunt,
Musasq; Reges amant. At eheu! quid sentio?
REGEM ab his sylvis propè abeuntem præuideo. Pastores miseri!
Vt potestis, ferte: sed priùs quàm gratus adfuit, quàm adest,
Iam fabulâ peractâ, manibus exprimite. PLAVDITE.

FINIS.

MELANTHE

Fabula pastoralis acta

cum

IACOBVS

Magnæ Brit. Franc. & Hiberniæ

REX,

Cantabrigiam suam nuper inviseret, ibi-
demq; Musarum, atque animi gratiâ dies
quinque Commoraretur.

EGERVNT

ALVMNI COLL. SAN. ET INDIVIDVÆ

TRINITATIS.

CANTABRIGIÆ.




Excudebat CANTRELLVS LEGGE.
Mart. 27. 1615.

Dramatis Personæ.

PALEMON	*Summus sacerdos Dianæ.*
SERRANVS MONTANVS	*Inferiores sacerdotes.*
MELANTHE	*Nympha, Alcini amasia.*
ALCINVS	*Pastor, adolescens, amator Melanthes.*
ALTEVS	*Pastor senex, pater Melidori creditus.*
MELIDORVS	*Pastor adolescens, amator Sylveriæ.*
SYLVERIA	*Nympha, amica Melidori.*
NICANDER	*Pastor adolescens subrusticior, amator Ermillæ.*
ERMILLA	*Nympha lepida.*
GLAVCVS	*Satyrus senex.*
LEONISCVS	*Satyrus iuuenis Glauci filius.*
CERVINVS	*Satyrus iuuenis.*
ECCHO	
CHORVS	*Sacerdotum.* *Pastorum.* *Satyrorum.*

Scæna in Arcadia.



ACTVS PRIMVS. SCENA PRIMA.

MELIDORVS *sub arbore decumbens, & cubito innixus.*



SVntne hæ veræ tenebræ? an adhuc dormio?
Aut vix admittunt lucem Auroræ dubiam
Ocelli somno graues? Veras agnosco tenebras.
En Stellæ diem repellunt: ecce Orionis baltheum:
En pugionem: en iratum Tauri oculum:
En (instar Amoris mei) pugnam perpetem,
Quam nulla sequitur victoria. Noctis aliquid superest:
Nam grauiores oculi somnum repetere gestiunt:
Et sanè repetant: siquidem in Syluerià meâ
Multa mihi somnianti dantur, quæ negantur vigili.
At, eheu! quàm fallax illi gaudium, quàm verus dolor;
Qui somnians fœlix est, & miser vigil!

SCENA. SECVNDA.

SYLVERIA.

O clari cœlorum oculi, sydera lucentia!
Qui terram hanc multiplici conspicitis acie;
Dicite aliquis vbi meus Melidorus latet.
Et citò dicite: nam mox diem Phosphorus
Reducet, & vos excæcabit luce nimiâ.
Non illum alienus torus, aut furtiva Venus
Suis avocauit laribus, quippe Melidoro meo
Castus liliorum candor inest in pectore,
Et in vultu roseus pudor. Sed aut fuluus leo,
Aut frendens Aper, aut extricata parùm tenacibus
Cerua plagis illum à suis ædibus abduxit procul.

SCENA. 3.

MELIDORVS. SYLVERIA.

M. Vhum humma hah. *S.* Quæ vox, aut cuia prope me ſonat?
M. Ah Cupido! hum-- *S.* Certè hæc vox Melidorum ſonat.
Ab illâ emicuit arbore. Atq;, ô Diana! ipſus eſt.
M. O mellita labia! genas roſeas! *S.* Quid hoc?
An dormiens garrit? Quid ni, quid ſomnians loquatur, audiam?
M. O Deorum maxime Cupido! *S.* hah. *M.* Captus ſum fateor.
Nam quid non valent oculorum Sol, genarum roſæ,
Labiorum cerasa, cervicis nix, & reliquæ
E tuâ pharetrâ ſagittæ? *S.* O Diana! quid audio?
M. At tu nympha mitiuſculè tuum Melidorum reſpice.
S. Quid hoc eſt? *M.* Melidorum miſerum reſpice, reſpice. hum! a.
S. Solent interrogati reſpondere, qui loquuntur in ſomnijs.
M. Nympha. *S.* Quid ais? *M.* Ne ſic frigeſcas, obſecro.
Cur non ſuccenderis ipſa, quæ accendis alios?
An vt Solem formâ, ſic virtute referre placet,
Qui cùm calfaciat alia, perſtat incalidus? hummah.
Ego amo: *S.* Quam amas? *M.* Nympham formoſiſſimam.
S. Qualem? *M.* ſed, heu! caſtiſſimam. S. Quænam illi patria?
M. Arcadia. *S.* Nomen quod? *M.* Non audeo proloqui.
S. Melidore Melidore. *M.* hum. ah, O Sylveria Sylveria. hum.
Quis me expergeſecit? Au iam dies eſt: iam Lucifer
Coegit, & incluſit omne ſydereum pecus,
Idem inſecuturus ipſe. Sed an ſatis vigilo? hum. ah,
S. Quid agitur Melidore? quid eſt? an amas?
M. Quid ni amem? *S.* Ecquid es voti memor?
Ecquid mei? *M.* Apage à me votorum vincula.
Miſerior nulla eſt, quàm quæ votorum ſervitus:
Liber ere volo. At quis tu? quemnam video?
O Sylveria! quem hunc dicam eſſe locum? aut vnde venis?
S. Phæbi planitiem dicas. A meis ædibus, te quæſitum venio.
Sed vnde tu? *M.* Ab heſternâ venatione. *S.* An ſub hâc arbore,
Noctem hanc edormijſti? *M.* partem maximam.
S. Tam propè à caſulis noſtris? *M.* Adegit multa nox;
Et, poſtquam ſocij abſceſſerant, exortæ nebulæ.
S. Sed quorſum inſalutatâ me diem integrum aberas?
M. Ad fontem Cynthiæ in aurorâ, neſcio quid ſacrorum meditans,
In venatorum commilitium incidi, vbi me venandi ſtudium
Longiùs inconſultum rapuit, (Ignoſcas) & raptum tenuit.

S. Ignoſcas!

S. Ignoſcas! ſunt alia, in quibus tibi ignoſcam ægriùs.
M. Alia! Quænam alia? *S.* Vnde tu Amator factus es?
M. Amator Ego? Quis dixit? *S.* Qui novit optimè.
M. Quis? *S.* Ipſe tu. *M.* Qui potui dormiens?
S. At potuiſti ſomnians. *M.* At dormit, quisquis ſomniat.
S. At dormiens vigilat, quisquis per inſomnia
Senſa mentis aperit. *M.* An ego ſomnians
Mentem aperui? *S.* Planiſſimè. *M.* An verba feci dormiens?
S. Plurima. *M.* Quæ? *S.* Cervicem niveam, genas roſeas,
Cœleſtes oculos, & conſimilia pueri ſagitti feri prodigia,
Quæ gens amatorum futilis effutire ſolet,
Quæq; Melidorum haud decent. *M.* An ſomnijs quicquam habes
Fidei? *S.* In ſomnijs mens fuco caret. *M.* At errore non caret.
S. In ſomnijs ſimplices animi fluunt imagines.
M. Quin potiùs turbidæ, & vanæ finguntur ſpecies.
S. Quorſum abnuis? quid orationes, & cauſas paras?
Hęc haud in ſontem arguunt. O Melidore mi:
Pueritiam quam primùm exegimus, ætas & vicinitas,
Et par venandi ſtudium notitiam, & benevolentiam
Inter nos conciliârat mutuam. Ego tibi charior,
Tuq; mihi præ cæteris viſus es præſtantior,
Rogaſti, vt te amarem annuebam: ſed lege non aliâ,
Quàm vt nihil à me peteres vnquam prętereà,
Quod ſoror, aut mater dare non poſſet tibi.
Conditio placuit, & legem hanc iureiurando firmavimus.
Inde (quod ſciam) ad hoc ætatis integrè viximus.
Votumq; quod Dianæ nuncupavimus, inviolatum manet.
Amorem fugimus; Amicitiam vſq; in miraculum
Sanctè coluimus. Suſurros leves, & horas amantium
Compoſitas, Laudes item, & querelas, Oculorum eloquium,
Et ſuſpiriorum appetitum miſerum prudentes riſimus;
Nunc inſipientes facti ne ſectemur. Quid taces? Quid ſtupes?
M. Quid non ſtupeſcam Sylveria, quem ſontem arguunt
Oratio ſimul, & ſilentium? Cui non tutum fuerit,
Somniaſſe? An dormienti credis magis, quàm vigilanti mihi?
S. Vellem vigilanti quidem, ſed metus, & dilectio tui
Me non fidentem faciunt. De te tam caſtitatis gloria,
Quàm amoris perridicula levitas timere me iubet.
M. Caſtitas aliud in expertis dulcis eſt; & ſolis non amantibus
Amor ridendus perhibetur. *S.* Melidore tune ais?

M. Non ego; sed vulgus. *S.* Id vulgus curet scilicet.
At Alcinum ecce Melanthes amatorem. Quàm prodit miserè?
En statum hominis homine indignum. Amor si placet,
Inde discas amare. Eamus, eamus: plagas, & canes,
Et spicula comparemus. Quantum prȩstat, quàm sic capi,
Feras capere? *M.* Serranus sacerdos Delphis heri redijt
Non erit igitur hodiè venatio. Sed ab Alcino quæram. *S.* licet.
M. Vbi te conveniam posteà? *S.* Paternis in ædibus: vale.
M. Vitæ meæ fœlicitas, atq; infœlicitas vale.

SCENA. 4.

ALCINVS. MELIDORVS.

A. Ecquis hodiè me viuit infœlicior? *M.* Melidorus tuus.
A. Absit. Ignoras, quàm lentis cor meum maceretur ignibus.
M. Egon' id ignorem, de quo nobis sermo sæpiùs?
A. Nosti fortasse me Melanthen, & Melanthen amare me;
Et patrem eius Palemona nostris adversari nuptijs;
Et, quia modica mihi res, nuptias ditiores quærere;
Atq; mihi filiæ suæ consortio, & colloquio interdicere;
Sed his omnibus alia iam accessit maior infœlicitas,
Quam te non nosse scio. *M.* Num scire mihi licet?
A. Licet, Nam fortè huic malo mederi poteris. *M.* dic igitur.
Vt levemus, non vt sciamus tantùm, amicorum mala
Sunt addiscenda. *A.* Postquàm tristis hæc cæli *Siccitas*
Omnia ferè corruperat, & in vere autumnum induxerat,
Quod liventes vbiq; testantur arbores, & flaventia gramina;
Cumq; pestis hȩc (quâ nulla pastoribus grauior) indies invalesceret;
Vt consuleretur Apollinis oraculum à primoribus Arcadiæ
Deliberatum, & statutum est. Serranus Dianæ ædituus
Delphos propterea mittitur, qui sub noctem herì
Responsa Dei retulit. *M.* Cur exordiris ab his mihi notissimis?
Nam Serranus rediens inter venandum herì, in viâ
Conspectus est mihi. *A.* Sine me. Is mihi à puero
Familiaris vsq; fuit, & meorum nuper amorum conscius.
Hodiè ergo summo mane (quia me spectabat) Oraculi
Responsum ad me detulit. *M.* An te spectat oraculum?
A. Hoc modo me. Delphis duo præcipuè sciscitanda erant.
Siccitatis huius *Causa* scilicet, & *Exitus:* ad quæ deus
Respondit vtraq; seorsim tali carmine.

SICcoculum cœlum est Triuiæ qui Flaminis hæres
Nubilis indigno sponsa locanda viro est.

Hoc

Hoc modo *Causam* aperuit, at his versiculis occultauit *Exitum.*

IMBrem terra bibet de Cœlo, quando redibunt
In vitam vitâ qui caruere sua.

His auditis *Palemon Flamen* & summus sacerdos Cynthiæ,
Et *Melanthes* pater inuenustus indicto comitio,
Sacerdotum, & pastorum primorum, huius mali
Causam promittit se sublaturum funditùs:
Nempe (quod *Palemon* olim expetiuit impendiò)
Melanthen filiam suam vnicam, (quam ius, & hæriditas
Sacerdotij, legibus Arcadiæ sequitur) *Aristij*
Nicandro dandam in vxorem censet, quia
Præpollet opibus, atque ei affinitate coniunctus est.
His argumentis *Nicandrum* dignum deputans,
Qui sacerdotio succedat. *M.* Illum vecordem! fatuum!
Nicandrum illum! Ille vt in Sacerdotio succederet!

A. Quid non valent diuitiæ? stultos sapientes faciunt:
Palemon eius vecordiam, quietem; & stultitiam,
Probitatem vocat, & sacerdotalem innocentiam.

M. An ergo syluas invasit auaritia? *A.* Imò syluarum antistites.

M. At quid de *Siccitatis* huius exitu speratur? hic nodus oraculi
Quo cuneo soluitur? *A.* Hic hærent animi ancipites.
Et (quod in occultis Deûm immortalium sententijs vnicum
Mortalibus est perfugium) ad preces & sacrificia fugiunt.
Proin, hodiè supplicationes, & vota solennia
Decernuntur; tum vt populo promulgetur oraculi sententia;
Tum vt finem huic malo Dij dent, sperare quem nesciunt
Mortales miseri. Nam quando fiet, quod non priùs
Futurum, quàm *reuiscant mortui*? *M* Sortem hic Arcadiæ
Lugere quàm liberet, nisi scire cuperem, tuâ quid referat
Delphicum hoc responsum. *A.* Si *Nicandro* detur hodiè
Melanthe, me pòstremùm vides. *M.* Quid ego ne detur faciam?

A. Ad *Melanthen* eas, meisq; illam precibus roges,
Vt dum sacra peragantur, huc se recipiat
E Templo, vt extremi mihi cum eâ copiam colloquij faciat.
Tu id tutò potes *Melidore:* atque amicis, ac in amoribus
Opitulari, æquum perinde, vel honestum nihil.

M. Sentio, sentio: ad hunc locum? *A.* Ipsissimum: ores modò,
Non metuo ut veniat: nisi si (quod in virgine
Rarissimum) patris in illâ charitas sit amore flagantior.

M. Faciam. *A.* Facies amice charissime? *M.* Faciam sedulò.

A. Ah *Melidore*, quando eueniet occasio, vt tuis subseruiam
Amoribus? Quid taces? huius amoris mei te pudet:
At quod Amori non debes, debes amicitiæ: rumpe hoc silentium.
An facies? *M.* Faciam. Aeger qui veni, medicus abeo.
A. Aegerne tu? *M.* Aegerrimus, atque omnium certè miserimus.
A. Quo morbo? *M.* Eodem quo tu. *A.* Eodem! *M.* Maximè.
A. An tu eodem, quo Ego? *M.* Eodem planissimè.
A. At dic mihi: an eodem tu? *M.* An tu solus es,
Qui ames? *A.* Sum. *Melanthen* meo nomine ne adeas?
Perquam ille infidus est amorum internuntius,
Qui idem & amator est. *M.* Annon licet amare mihi?
A. Non licet. *M.* Licet. *A.* Non licet. *M.* *Alcine* quid agis?
A. Ne *Melanthen* ames, id ago. *M.* Si id agis, non amo:
Nec eodem morbo, quo tu, pereo: pectus hoc aliâ
Comburitur febre. *A.* Quâ? quâ *Melidore*? Expedi.
M. *Sylverianâ.* *A.* Seruasti me, Des obsecro amanti veniam.
Te metui riualem: At quis riualem cordatus ferret Iouem?
M. Meanne fidem tam citò? *A.* Amanti indulgeas, atque aliò
Sermonem ducamus. *M.* Tam cito? *A.* Ignoscas. An *Sylveria*
Ex amicâ amasia facta tibi? *M.* Vtinam fieret!
Sed ego qui amicus olim, iam factus amator pereo.
A. Tune? qui amorem fugisti, & risisti nuperrimè?
M. Risi: sed meo malo. Amorem impunè nemo riserit.
Peccaui largiter-- *A.* Aù satis est: dabitur venia: dic potiùs,
Quomodo ex perduelli, factus es Amori subditus.
M. Tam tenues, & leues causas referre me piget.
A. Ne pigeat. Principia paruis debent magna ferè omnia.
M. Oihime!--- *A.* Aliò migremus, aut hanc tempus in aliud
Differamus historiam: Viden' vbi *Ermilla* læta exilult;
Nollem illam me videre; molesta semper est, & infesta mihi.
M. Quapropter? *A.* Dicam alibi; nunc ignoscas obsecro.
M. Facilè. Ego ad *Melanthen* tuam ibo: post exactam horulam
Hìc me expectes. *A.* Cum veniâ licetne abire? *M.* Licet.
Sic mutuis amicorum amicos decet inseruire commodis.

SCENA. 5.

ERMILLA. NICANDER.

Ingreditur Ermilla festi[...] cum cultro parans, & or[e] suo permel-lans.

E. Hahahe. *Nicander* vbi es? Sohohow. * tam procul abes?
Hàc hàc, si quid me vis, sequere: Sohohow, quàm tardus es?
Auh tandem! *N.* Sic manibus ligatis per vepres, & spinas
Qui potui citiùs? *E.* Nunc me osculare *Nicandrille* mi.

* Sohohow. intus.

Tu

Tu totus es in osculis: quia me robustior es, oscula
Perextorques invitæ mihi. Nunc autem responde mihi:
Quid me vis mea pruina? *N. Ermilla* siccine vsq; tu mihi?
Nisi me fugeres, & sic luderes, non extorquerem oscula.
In vindictam de nequitijs tuis oscula diripio.
Sed iam quantum te amem vides, qui manus mihi
Ligari passus sum, vt fidei te meæ committeres audaciùs.
Nam graue quiddam est, quod tibi gestio dicere.
E. Graue, pish, graue! Quid illud est, si dijs placet, graue!
Nam tu miræ grauitatis homo es: graue! hahahe, graue.
N. Amorem dijudices, dum hæc, tanquam asinus, omnia perpetior.
Sed si solutæ erent manus, Ego te, nequissima,
Centies ob isthæc oscularer, nequissima, bellissima, nequissima.
E. Experire quid possis ad oscula, iam ligatis manibus.
An si deessent manus, te osculaturum posteà,
Nulla vnquam spes esset? En me paratam, accedito.
N. Tene sis. *E.* Id neutiquàm tamen age: ne sic: nec sic etiam?
Quam tu es ineptus ad oscula? flip: *N.* Oh, an iterum? Oh!
Perit maxilla mihi. *E.* hahahe, flip: *N.* Quid an amanti alapas?
E. Alapasne vocas amoris signa lepidissima? flip. *N.* Oh!
E. An non licet tibi permulcere genas, vredo mea, flipp.
N. Oh! *E.* mi december, flipp. *N.* oh, *E.* meum gelu, flipp.
N. Oh. Abscede longiùs: aut ego te calcibus proturbabo ad inferos.
E. An procalcitrat asinus? auh! In quam partem vis procumbere?
N. O *Ermilla* dulcissima, mitte pedem, quæso; obsecro.
E. Vide quàm te amem? Remitto. Vin redeamus in gratiam?
N. Libentissimè. Des ergo basium gratiæ symbolum
Redintegratæ. *E.* Non est operæpretium. Nunquid nobis non licet
Sine osculis amicis esse? *V.* Licet, fateor; sed cum osculis
Fiet meliùs. Sin mihi aurium operam *Ermilla* dederis,
Vt intelligas, quâ de re te tam solicitè quæsiverim hodiè;
Sperarem te mihi basia nunquam negaturam posteà.
E. Dabitur opera: quid est? *N.* Pater meus Aristius
Primâ luce me accersit, & me lætari iubet,
Meq; ad nuptias comparare, addit insuper, ante vesperam
Melanthen hodiè cessuram in vxorem mihi.
E. *Melanthen* tibi? *N.* mihi. An tu non solidæ fidei
Patrem meum audes appellare? Dixit: propterea
Credo. Est pater meus vir probus; & dives satis;
Dicam tibi quot greges alat. *E.* Oh, mitte greges, hahahe.

Ad vxorem redi. *N.* Non redibo: nec vxor erit
Melanthe mihi. *N.* Non id volui. Ad rem redi.
N. Quam rem? *E.* Ad patrem tuum. *N.* An patrem meum,
Rem vocas? Rem! eſt vir primarius, & dives ſatis.
An Rem vocas? *E.* Non voco. Quid tu inquam ibi?
N. Vbi? *E.* Ah mi nequam ineptulè! Quid reſpondears patri?
N. Nihil:neq; enim æquum fuit. *E.* An de nuptijs
Lætatus es? *N.* Rem acu tangis. Quid tu putas?
E. Ego quid putem? *N.* Ariolari te velim. *E.* Quid ego
De re tam incertà, qualis tuus eſt animus,
Ariolarer? *N.* *Ermilla*, tu quidem rectiſſimè namq; animus meus
Eſt res longè incertiſſima, & cognitu difficillima.
Sed ariolare, *Ermilla* mea. *E.* lætatus es. *N.* Ariolaris optimè
A vero propè abes. Tantùm non rei quid eſſet, dixti. *E.* quomodo?
N. Aut enim lætari me, vel non lætari neceſſe fuit:
Ergo cùm non lætatus fuerim, tu ex duobus autumaſti alterum.
E. Hahahe. Tum non lætatus es. *N.* Quippini. *E.* Quare? *N.* Id ipſa dixeris.
Quare? quare! *E.* Egone? *N.* Tu. Quare non lætatus ſum? dicito.
E. Quid ego noverim? *N.* Imò, dicas quare: Quare, *Ermilla* mea?
E. Non lætatus es; quia neſcio. *N.* Imò ſum non lætatus, vt ſcias.
E. Quid ego ſciam? *N.* Quam chara ſit *Ermilla* Nicandro ſuo.
Nam tuâ gratiâ non lætatus ſum. *E.* meâ gratiâ?
N. Certè:nam te, quam illam, ducere mallem multo magis.
Veni ergo vt te extremùm rogem, vt nubas mihi
Quod ſi concedas, ego *Melanthen* in perpetuum reſpuo.
Sin minùs: nihili causâ patris animo vin' adverſari filium? ha!
E. Tu ne itaq; me vxorem petis? *N.* Oh *Ermilla* peto, atq; expeto.
Si me, ſi me--inter principes huius provinciæ fæminas numerabere.
Tum dives eris. Nam pater meus Ariſtius eſt dives ſatis.
Dicam tibi quot greges alat. *E.* hahahe, mitte greges;
Atq; hic longiùs aſſiſte, dum ego mecum conſilium ineo.
N. Quid opus eſt conſilio? *E.* Tace inquam. *N.* O vtinam, vtinam! &c.
E. Egon' huic ſtipiti nuberem? Tum ſi huic detur
Melanthe, antiquus Alcini in me amor redibit protinùs
Hac vnicà ſpe Ariſtij divitiæ contemnuntur affatìm
Nicander, *Nicander* non poſſum. *N.* Non potes? eheu! non potes?
Quid faciam? pereo miſer. *Ermilla* dicam tibi ſeriò,
Quot greges alat pater meus Ariſtius. *E.* mitte (inquam) greges.
Non poſſum. *N.* O me miſerum! ô ô eheu! *E.* Quid clamas beſtia?
Ego te amo: ſed non poſſum tamen. *N.* Si non potes, me non amas? oh, oh:
E. Nunc

E. Nunc hâc festucâ, quam per iocum paravi opus est mihi.
N. Genibus ego te flexis oro, ne misellum tuum deseras. oh! oh!
Et vt soluas manus mihi. *E.* tum tu mihi vim inferes.
N. Nolo per deos. *E.* Non credo tibi. Sed quia in æternum tibi
Me valedicere decet, basium extremum do tibi.
N. Vin' basium mihi? ah *Ermilla* dulcissima! *E.* Os paulùm aperias:
Volo vt ore huilco accipies: hahahe haha hahahe vale.
N. Oua, aough oh oh.

SCENA. 6.

LEONISCVS *Sat.* NICANDER.

L. Ha! quid monstri video? in has sylvas quæ nova gens
Advènit? Hominem ne an feram video, cui sic hiat os?
Et manus absunt? *N.* aoah. *L.* Manus iam video:
Quis te sic miserum paravit? *N.*oaoh. *L.* An me mordere vis?
Si me dente, ego te cornu petam. *N.*û hum. *L.* Ad pedes meos,
Age, deoscula. Quin exurge. *N.* Aaah. *L.*An tibi dentidolium?
Aut quomodo in illam dens tibi excrevit magnitudinem? *N.* ahum, a.
L. An evulsum cupis? *N.* haha. *L.* Certè tibiam inflectis perhumaniter.
N. Vhum. *L.* At quid si dum in os tuum imposuero digitum,
Prçmordeas mihi? non potes me sic fallere. Responde mihi:
N. Mumm. *L.* An gens vestra non loquitur? an lingua deest?
Exquiram: pugh linguam video: responde, responde mihi. *N.* mumma.
L. An isto dente vox inhibetur? *N.* aaah. *L.* An posse te loqui putas
Si dens ille singularis extraheretur? *N.* hahahah. *L.* Hem tibi;
Pugno confringam. Siste. *N.* auh hau. *L.* sistito: hoc dentifrangibulo.
Conficiam quam citissimè. *N.* auh. *L.* Pugnum non sufficere putas?
An saxum mavelis? saxum inquiram, aut stipitem. *N.* auh aa hauh, &c.
L. Quid mihi dorsum obiicis malè conciliate? men' digito vis extrahere?
Experior: hum. *N.* Auh gratias, *Leonisce*, gratias, æternas gratias.
L. Qualis hic dens est? cruor evulsum non consequitur.
N. An dentem putas? vos Satyri res pastorum non intelligitis
Non non. An tu nosti patrem meum Aristium? Est vir primarius;
Et dives satis; dicam tibi quot greges alat. *L.* Mitte greges.
Si non sit dens; quid esse dicam? *N.* Est ligni particula,
Vel quasi festuca-- vel potiùs ligni quædam particula--
L. Cur ergo in os inseruisti? N. Egon' vt in os meum insererem?
Non sum stultus adeò, dijs gratias. Nam pater meus Aristius
Multos greges alit. Dicam tibi-- *L.* Quid mihi cum gregibus?
Quis inquam inseruit? N. Procax, & nequam puellula.
L. Puellula! ah pater Silene! puellula! An de nymphis aliqua?

Ha hah ha puellula! ah ha puellula! An formosa fuit?
N. Mediocriter. Sed omnes nequitijs exuperat oppido.
L. Quænam illa fuit? aha puellula! nomen edicito.
N. Nomen, & quicquid vis aliud, enarrabo, vbi manus
Exolveris. *L.* Faciam sedulò. An formosa, & benigna fuit?
Ah quid pulchrâ puellâ suavius? Ecce solutas manus?
Nunc dicito. *N.* Fuit *Ermilla* quædam, formâ quidem minimè
Contemnenda; sed quàm sit benigna vides; quæ sic inhumaniter,
Suum amantem tractavit: atq; etiam illiberaliter,
Ne dicam--*L.* Quid dicas? pish tace. An sola fuit?
N. Et absq; me solitaria. *L.* An eam olim amasti, aut nunc amas?
N. Amavi: sed non amo. *L.* vin ergo mihi tradere?
N. Vellem equidem, si possem. *L.* Si vis, potes: fac igitur:
Aut ego dentem tibi in os redinseram, & religabo manus.
N. Au fortissime *Leonisce*, *Leonisce* fortissime ne facias.
Non possum, non possum. *L.* Quare? *N.* Illàc effùgit ad casulas.
Iam domi esse credo. *L.* Pervestigemus. *N.* laterem lavabimus.
L. Volo inquam, nam fortè in his sylvis errabunda deviat.
N. Frustrâ erimus: omnes sylvarum semitas pernovit optimè.
Verum eam aliàs tibi tradam, etsi nunc non licet.
L. An *Ermillam* esse dicis? huius *Ermillæ* forma non est multi nominis
An potes *Melanthen*, aut *Orindam*, aut *Sylveriam*
Mihi tradere, quarum fama pervulgatissima? Age.
Has inquiramus potiùs; Inquam? *N.* *Leonisce* fortissime.
Nunc ad templum Dianæ eundum est mihi: namq; ibi
Sacra fiunt hodiè sollennia. *L.* Sacra? sacra sollennia!
Omnes ne ibi aderunt nymphę? *N.* saltem quàm plurimæ.
L. Sat habeo; hahahe hahahe. Iam quid mihi faciundum, scio.
Tuâ nunc non indigeo operâ: vale. At quod nomen tibi?
N. Mihi? *L.* Tibi. *N.* Noli quærere: subrusticum est,
Nomen ab aliquo coràm percontari. Sed quia Satyrus es,
Dicam. Est mihi nomen *Nicander*. *L.* Cuius? *N.* Aristij;
Quem dixi, viri primarij & satis divitis,
Dicam tibi quot greges alat. *L.* Imò vale potiùs.
Quid mihi debeas memineris.

SCENA. 7.

NICANDER.

Memorem mones.
Duæ mihi res incumbunt simul omnium gravissimæ:
Amor; & vindicta. In *Melanthen* sponsam futuram amor:

In

In *Ermillam* vindicta. Sed his vtrisq; pater sufficiet,
Nam is dives est, & multos greges alit.

Finis Actus. 1.

ACTVS SECVNDVS.
SCENA. 1.
MELIDORVS. ALCINVS.

M. ALcine! *A. Melidore! M.* Tam compositè! *A.* Dij vortant bene!
M. *Melanthe* tua-- *A.* Cuius mihi nomen vulnus est,
Et medicina simul. Quid illa? Conveniſtin'? *M.* Optatiſſimè.
Illa--*A. Melidore,* priusquam pergas, amoris tui
Causas, quas abrupit *Ermilla,* nunc demùm perficias.
M. An quid Nympha tua responderit, non audies?
A. Audirem præ spherarum cantibus; at Amicitia iubet
Tuis rebus me nunc priorem operam dare: viciſſitudines.
Etsi non efflagitet amat Amicitia. *M.* Imò tuas
Agamus potiùs. *A.* Quin tuas magis. Amoris primordijs
Nihil vsquam auditu dulcius. *M.* At infaustis amoribus
Nihil dictu acerbius, ergo quæ læta sunt,
Priùs audiantur. *A.* Instat hora sacrificij,
Quę Melidore rebus tuis enarrandis anteverterit.
M. At Nymphæ responsum tuæ verbo expediam vnico.
A. Quando ita vis, expedi. Ad me veniet, annon veniet
Melanthe? M. Veniet. Nam-- *A.* Plura ne addideris.
Si veniet, sat habeo. Permittam divis cætera
Nunc ad res tuas redi: illas vt cognoscam, ardeo.
Tum quòd amare te gaudeo; tum vt tuis in me meritis
Reponam aliquid, si quid vsui esse possim tibi.
M. *Alcine* vicit humanitas tua. Audi igitur, vt ego
Factus, Amator perij. *A.* Studio quo paſſim maximo.
M. Ante hos aliquot dies, Ego, & *Sylveria* mea
Cervum in Centauri saltu venatum ivimus.
Interfuere Nymphæ quoq; cum Pastoribus, alię.
Tuq; etiam (ni fallor) *A.* quo nempe die? *M.* Pridiè
Postrema Dionysia. *A.* Non non, tum in Elide absfueram.

Verùm

Verùm perge. M. Cervus horas octo concertabat fugâ.
Hostibusq; suis fugâ, non pugnâ superior extitit.
Nam Cervi, secùs ac armati solent alij,
Primò fugiunt, deinde pugnant. Sed in fugâ
Parùm salutis est, vbi seipsum prodit, qui fugit
Tandem igitur pertinaci canum sequelâ perditè
Lassatus, arbori se adiungit, & cùm se victum propè
Agnosceret, pugnam imprudens incipit: & canes cornibus
Depellit: quod ex mutato canum latratu facilè
Percipio. Ibi lætus, impigerq; canibus
In auxilium primus accurro, & mihi proxima
Succedit *Sylveria*. Alij enim, aut lassitudine
Recesserant, aut ab eâ parte longiùs aberant.
Mox Cervus vno à me confossus vulnere
In terram lachrimabundus labitur. Hic dum ego
Canes castigo, *Sylveria* pro Cervi capite
Cervi rimatur lachrimas. Quas videns, ô *Melidore* ait,
Has lachrimas nunquam fudisset Actæon, si Cynthiam
Non læsisset. Dixerat. Cùm Cervus subitò,
Sive ab irâ fuit, Sive ab extremo (vt solent)
Conatu, in pedes enititur: & ramo, vel supremo palmulæ
Digito dextrum Sylveriæ latus inopinanti ferit.
Vt laceram vestem, & mox cruorem video, penè exanimis
Ad illum propero. Illa subridens, nihil perterrita
Vestem aversa dimovebat leviter; sed quia
Præ tumulo mamillæ, quantum vulnus esset, inspicere
Nequivit, me rogat, vt id ei præstarem. Hìc (hei mihi)
Hìc; oihime! *A.* Quin porrò *Melidore*; quid taces?
M. Hìc *Alcine*, vulnus dum alienum curo, proprium
Consciscо. Nam cruorem abstergens, quàm potui, leniter,
Simul illud ebur molle, nivemq; calidam incautus tetigi
Per venas nescio quis venenatus ignis meat.
Sive enim *Sylveriæ* miseratio emollierat animum mihi,
Sive forma eius periculo commendata, plus valuit,
Ab eius vulnere vulnus accipio non medicabile.
Vulnus illius in extremâ tantum cute, at meum
In imo pectore persentisco: quid multa? Subitò
Novis illam contueor oculis, & amicitâ novâ.
Et quamprimum vulnus illius citra periculum sentio positum
Ab eius vulnere medelam vulneri sperabam meo.

Sed

Sed ideò dum latus eius attrecto modestè, & timidè,
Continuò nocens videor: & quod iuvit maximè,
Puduit nonnihil. Exinde nescio quid, si non Amator extiti.
A. Ecquid horum illa præsensit? M. quod sciam nihil.
Nam aliæ tum nymphæ catervatim advolant,
Et quid esset mali, quæritant, quibus *Sylveria*
Conspectis, meum auxilium pudibunda refugit.
Illæ igitur vulnus ligant, & herbas adhibent
Medicas, quibus illa post pauca revaluit.
(Dijs gratias) illa revaluit; sed vulnus meum
Vires herbarum superat. Hinc æger ad meum
Alcinum, opem implorans, veni. *A.* Quam opem?
M. Quâ satis amica *Sylveria* reddatur amans insuper.
Hoc in *Melanthe* expertus es. Indoctum edoctus doce.
A. Vin' exemplo institui meo? *M.* Nullo magis. *A.* Audias?
Postquam *Melanthen* (vti notum est) à *Leonisco* vindicassẽ Satyro,
Qui vim ei intentârat; gratus, sed non amatus diu,
Cum illâ vixi. Siquidem illa amorem imperita nescijt.
Quare (quam nosti) *Ermillam* amare me simulo.
Quod cùm *Melanthe* perspiceret (vti mos est fæminis,
Sequentia cum primis fugere, fugientia persequi)
Amare me cæpit ipsa, & carendi metu
Me charum habere. Hoc ergo (si me audias)
Experire. *M.* Consilium placet. Sed--*A.* Quid audio?
M. Sacerdotum, & sacrificantium voces. *A.* Quid faciemus igitur?
Nolo me Palemon videat. *M.* Ex eorum vocibus
Longiùs eos abesse conijcias. *A.* Quid ipse facies?
M. Memet in ordines immiscebo dextrè? *A.* At Ego
Frondosis illis succedum latebris. *M.* At dic *Alcine* priùs,
Quam nympham hac technâ aggrediar. *A.* Si placet,
Ermillam, namq; illa præ reliquis est credula:
Et in novos amores præceps. *M.* At quomodò hunc dolum
Instruam? *A* Inter sacrificandum adblandiaris *Ermilla*; posteà
Secretò convenias, dones munusculo; & exores basium.
Atq; cures, vt inspectante *Sylveriâ*, fiant omnia
Verùm de *voto meo* quid fiet? *A.* Quo? *M.* *Vovi Sylveria.*
Me nullam amaturum aliam, nec ipsam aliter.
A. Cùm primum *Sylveriam* amare velle senseris, adeas
Dianæ Flaminem; is votum tibi remittere poterit.
M. Verùm si--*A.* Ecce viator ingreditur: Vale vale.

Viator.

Sacrificij ordo, 1	*Pelvem & gutturnium.*	Pueri portantes	*duas deauratas pateras.*	2
3	*vinum,*		*aquam,*	4
5	*ſalem,*		*far,*	6
7	*Ignem veſtalem,*		*thus accenſum.*	8

1		2
3		4
5	Cantatores & Cythariſtæ.	6
7		8
9		10
11		12
13		14
15		16

Melidorus. — Nicander.
Alteus. — Ariſtius.
Ermilla. — Sylueria.

1 Pueri 2
portantes pyxidem in pulvinari olo-ſerico poſitam, in quâ Oraculum ad Templum ferebatur.

MELANTHE.

PALEMON.

1 Pueri ſeruientes *veſtem Palemonis Sacerdotalem diffluentem manibus à terrâ ſubleuantes.* 2

Serranus — Montanus

1 Pueri 2
agnos vittatos ferentes.

quo præterito redit in Scen. Alcinus,

3
1 Paſtores *iuvenes Palemonis famuli.* 2

SCENA. 2.

ALCINVS. ECCHO.

O *Melanthe*! ò cælo Charissima! tune indigno viro
Locanda, si *Alcino* nupseris? An me *Nicandro* cedere
Oportet? tam vecordi? fatuo? stipiti?
O Cœlum! ò cœlestes orbes! (nam sæpè inanibus
Has valles, & has sylvas compleui quæstubus,
Rupes elingues, & mutas allocutus arbores)
Nunc respondete mihi; nam vestris voluminibus
Scripta feruntur omnia, quæ mortalibus imminent.
Dicite. Ego, an *Nicander*, dignior virtute? *Ec.* TVTE.
A. Quis tu, qui respondes? An effaris Cæli plebiscita? *E.* ITA.
A. An erit illa mea, pro quâ cor meum perit? *E.* ERIT.
A. Effare apertè, An *Melanthen* possedebo meam? *E.* EAM.
A. Ah quando fiet hoc? aut quo die? *E.* HODIE. *A.* hodie? *E.* HODIE.
A. Quo Deorum fiet effato. *E.* FATO. *A.* Nempe certissimo. *E.* IMO.
A. At quæ via decernitur huic Amori? *E.* MORI.
A. An vt amore fruamur excedendum è vitâ? *E.* ITA.
A. Quæ spes illum manet, in amore qui moritur? *E.* ORITVR.
A. An aliquis moriens liber erit ab interitu? *E.* TV.
A. In Orco positum quid me revocabit indidem? *E.* IDEM.
A. An hæc mihi contingent immerenti? *E.* MOERENTI. *A.* Et nescio? *E.* NESCIO.
A. At oh-- *E.* OH
Quid hi sibi volunt Satyri? *Melanthen* hîc conspiciant
Nollem: Ei à templo recedenti obviàm faciam.

SCENA. 3.

CERVINVS, LEONISCVS, *Satyri*

C. Quænam hæc vociferatio fuit? An solent ad hunc modum
Pastores eboare? *L.* Si quando detur occasio. *C.* Occasio!
At vnde oritur Occasio? dic mihi. Vnde Occasio?
Occasio res maximi. Occasio. *Leonisce.* Occasio. Occasio;
L. *Cervine*, tu tam es Asinus: nunquam quidquam credo intelliges.
Occasio! quid nobis cum occasione. *C.* Men'asinum vocas?
Hoc est asini multò magis. Egone tibi præstarem auxilium
Cum hac conditione? pish. non faciam. *L.* *Cervine*, an tam citò
Irasceris? Dixi ioco. *C.* Ioco? Mallem dixisses seriò.
In me iocari! non feram. pish. certum est, non feram.
At tu feres Bestia. *C.* An Silvano creatum vocas bestiam?
L. Bestiam! *L.* An Pane oriundum flocci facis adeò?
Quid genus, & proavos mihi iactas? feres (inquam) feres.

C. At certè *Leovisce* non feram. *L.* At certè *Cervine* feres.
C. Quid si non feram? *L.* Vis non vis, feres. Pugnemus igitur.
C. *Pugnemus igitur!* Quàm hoc amicum est vocabulum?
L. Quando amicè tecum agi non pateris, quid dicam aliud?
C. Gentiles mei gens *Ceruinorum* non amant hoc vocabulum.
Pugnemus: atq; hoc est, cur ego tam rarus prodeo.
At non feram tamen. *L.* Pish. Vin' inter nos amicè rem geri?
C. Mallem. Sed nolo me asinum vocari, aut bestiam.
Hæc si omittas; en me comitem, & amicum tibi. *L.* Omittam in posterum.
Sed *Cervine* tu tam iracundus es. Non te dico asinum, aut bestiam;
Sed quasi asinus, aut bellua, sic iracundus es--*C.* Hoc *Quasi*
Non probatur mihi, puto te me non appellare asinum, aut bestiam:
Sed hoc *quasi* infestum est mihi. *Quasi! L.* Tu nunquam irasci desines.
Vin' quid te velim ediscere? Dies fugit. *C.* Volo, volo: quid est?
L. Id verum esse comperisti, quod modò narravi de sacrificio.
C. Agnosco. *L.* Iam quod verum quoq; futurum esse confido, dicam aliud.
C. Quid illud est? Expedi. *L.* Nymphæ festis hisce Deorum dieculis
Sacris exactis, solæ per vmbras expatiari solent.
Quarum si nos in aliquam incidamus, illam in speluncam meam (Ideò
Rapiemus. *C.* Si non veniat-*L.* Rapiemus inquam. *C.* At fortè renitetur. *L.*
Rapiemus. haaa. Quàm tu es sapiens, & prudens, & videns? haaa.
C. Quid de raptâ fiet in speluncâ tuâ? *L.* Quid fiet! Rogas?
Non dico te asinum, aut bestiam; hahahe non non: non dico te--
Sed interrogaret ista nemo, cui sit mica cerebri.
Quid fiet de bellà nymphâ in speluncâ Satyri! hahahe.
Quis non asinus, aut bestia talia diceret? *C.* An asinum, & bestiam,
Me vocas denuò? *L.* Non voco. *C.* Non vocas! Hoc aliud est.
Si vocasses--Scio. Scio. Non ergo vocasti? *L.* Non *C.* tum dicas mihi.
Quorsum tibi nympham rapere lubet, quæ te non amat?
Nullam amplectitur, qui non amantem amplectitur: tum si non amat,
E speluncâ tuâ fugiet clàm, palàm. *L.* Haud ineptè mones.
C. Haaa. Ego sum asinus. hahha. *L.* Ego eius amorem facili negotio
Conciliabo mihi. *C.* An amorem Nymphæ Satyrus? hum. Satyrus?
Nos omnes horrent, & fugiunt Nymphæ. *L.* Fateor id quoq;.
C. Ego neminem conspexi, quæ me non summo fugitaret opere.
L. Fieri potest. At est mihi Philtrum in hac cucurbitâ *amoris potentissimum,*
C. Philtrum! quid id est? *L.* Amoris pharmacum. *C.* Vnde conficitur?
L. Est *aqua.* *C.* Qualis aqua? *L.* De fonte lympha lympidissima.
Videas hanc guttulam. *C.* pish. non credo. *L.* Nonne vides?
C. Lympha! ab aspectu pura est. An in illâ quid virtutis est?

Mirificæ.

L. Mirificæ. Dico *hanc bibentes in amorem eius cogere*
Qui poculum subministrat. C. Quis demonstravit tibi? *L.* Pater meus
Glaucus, qui in his saltubus tria peremavit secula.
C. Vnde cognovit? *L.* Quid id tuâ? vin' operam dare mihi?
C. Strenuè: modò cùm tu nympham nactus es vnam tibi, mihi
Conciliaveris alteram *hac aquâ tuâ.* *L.* Faciam; tu modò
Pugnes strenuè. C. An pugnandum est? *L.* Fortasse. C. Vale.
Nymphas non tanti facio. vale. *L.* Mane. C. An vt pugnem, me manere vis?
L. Dico (inquam) fortasse. C. ahum. Fortasse! *L.* Non pugnabis igitur.
In illam ascendas arborem, dum in hanc adversam ego.
Tu casas versus, ego ad templum prospiciam. Si quam solam videris
Hac accedere nympham, dicito. C. Non est igitur pugnandum. *L.* Minimè.
C. Tum ascendam libens. *L.* Ecquam vides? C. Nondum firmavi pedem.
L. Corpus frondibus, & folijs obnube, ne quis te videat adveniens.
C. Age. Vin' cantillare me? iam videor mihi factus avicula.
L. Quænam avium sis intelligo. C. Quæ? *L.* Cui cantilena vnica.
C. Non-- *L.* St Tace. Nympham cum pastore venientem video.
C. Vbi? vbi? *L.* Tace inquam, ne pedem aut digitum donec iussero.

SCENA. 4.

MELANTHE ALCINVS.

M. Perquàm res *Alcine* mira est, ad templum tam propè,
Procedere te voluisse. Quâ enim ausus es fiduciâ?
A. Amoris. *M.* Amor quo audacior, sæpè infaustior.
A. Amor inaudax tepidus; & amore tepido
Nihil odiosius. *M.* At amore temerario
Nihil amentius. *A.* *Melanthe, Melanthe*, sic decet,
Des amatorem amentem mihi, qui & desipere
Non erubescat, qui amantem non timeat
Per rupes, & omnes, & mare per insanum sequi.
M. At *Alcine*, quid liceat, parùm attendis interim.
A. In amore pudico, quicquid valemus, licet.
Melanthe, si quid liceret, non attendissem priùs,
Te ex ipsis ordinibus eripuissem modò;
Aut ab altari detraxissem. *M.* Quid hunc ergo locum
Constitutum nobis egressus es? *A.* Quia duo Satyri
Hîc tum conspecti mihi, qui ne turbellas darent,
Tibi dedi obviàm. *M.* Satyri! ô Diana! Satyri!
A. Quid est? *M.* Subita me somnij recordatio territat.
A. Quam obrem? *M* Multos hac supremâ nocte Satyros
Per quietem vidi. *A.* Alibi nocentes magis

 L. Vtinam

Vtinam ne videas vnquam! *M.* Qui, dum, (vt visum est) loco
Constiteram valdè difficili, sed mihi longè iucundissimo,
Invitam me rapuere: meq; ad aquam transitu
Perdifficilem duxere, neq; enim lacus, aut fluvius,
Aut fluentorum quid fuit: tamen (vt visa est mihi)
Plena fuit periculi. Sed hanc cum transiveram inscia,
Regiones protinùs habitare visa sum Acheruntica s.
Satyri mox evanescunt: & me solam in illis horridis
Relinquunt locis. Vbi, ac si oblivionis æternæ pocula
Bibissem, animum meum mearum rerum omnium, & tui
Incessit atra nox. Tum (vt fieri suevit in insomnijs)
Tu subitò adesse videbaris, & aderas quasi reverâ mihi.
Sed ego te præsentem, nec sentij, nec curavi tamen.
Et sic prorsus evigilavi. *A.* Dij immortales somnium cuiusmodi!
At somnium, somnium esto. Proin, *Melanthe* nil metuas.
Id agas, quod tempus, & res nostræ monent.
N. Quid illud est? *A.* Rogas? Invisas *Nicandri* nuptias
Hinc mecum fugis. *M.* Has nuptias libenter fugio:
Sed-- *A.* Ah *Melanthe*! quid *Sed?* Sexcentis tibi
Rationibus evincam, & posse te, & debere mecum fugere.
Primò enim-- *M.* Mitte Rationes: quicquid vis, in pauca refer.
A. An tibi gravis oratio mea? *M.* Non, non; summè iuvat.
Sed sacra me manent. Ergo quid velis, paucis expedi.
A. Vin' has nuptias fugere? *M.* Cùm maximè *A.* Nunc places.
Eamus igitur actutùm, eamus. *M.* Quo? quando? quomodo?
A. In Elida, confinem provinciam: Iam nunc: hoc habitu.
M. An tu *Alcine*, quâ es pietate, & prudentiâ,
Suades id mihi? *A.* Suadeo. *M.* An patrem, Patriam,
Penates vnà me iubes fugere? *A.* Mecum iubeo.
M. Oh *Alcine*! an sacerdote sacra? sacris Altaria?
An altaribus Templa? Templis Deos? Dijs Arcadas?
Vnâ privabis operâ? Antiquos Deûm cultores Arcadas!
A. Nollem equidem. *M.* Quid ergo fugiam? *A.* Fugies,
Ne hæc eveniant mala. Si te *Nicander* duxerit,
Quæ dicis mala futura sunt omnia. *M.* Intelligo;
Quia vecors est adeò. *A.* Rectè. *M.* Vt nuptias *Nicandri* caveam,
Satis mihi meditatum habeo, & provisum satis.
A. Habes? Gaudeo. *M.* Neque est quod gaudeas tamen.
A. An me ludis *Melanthe*? Si has devites, ego vt non gaudeam?
M. Modum, quo devitandæ, nescis. *A.* Effare igitur

Infan-

M. Infandus eſt. *A.* Hah! *M.* Tuâ ſed gratiâ fiet, quicquid fecero.
A. Meà quod gratiâ fit, an mihi dictu nefas?
M. Multa nolumus facienda, quæ facta laudamus oppidò:
Hoc fortè in eorum numero. *A.* Si me ames, dicito.
M. Orare noli. *A. Melanthe,* ſi quid ames, obſecro.
M. Amo te: obtemperandum eſt. Cùm nuptiales faces
Accenſas videro: ahimè! vin' effari me? *A.* Cupio. *M.* Moriar.
A. Moriere? ohimè! *M.* Moriar *Alcine,* moriar. Sic tibi
Fida; Patri morigera; & in Deos evadam pia.
A. Sic eris infida mihi, patri proterua, ac in Deos impia.
M. Vt omittam cætera: Egon' infida tibi, quæ pro te moriar?
A. Quia mori vis, infida es. Quod dediſti, negas.
Non tam tua nunc es, quàm mea. Hæ manus,
Hæc labia, Cor intus illud perire non poſſunt tibi,
Sine fraude mihi factâ. fine damno meo.
An fugere negas, vnde redeas; & mori cupis,
Vnde non eſt poſtliminium poſtea? *M. Alcinum* decet,
Maculæ puram adamare, & vitæ integram:
Sin fugero, aut non amabis, aut amabis impiam,
Et profugam. *A.* Hac culpá fies amabilior. *M.* At amor citò labitur,
Qui culpâ nititur. Ergo ſtatutum eſt. *A.* Oihime. *M.* Ne ſuadeas.
A. Imò perſuadebo. *M.* Certum eſt. *A.* O *Melanthe* audias;
Supremam audias hanc vocem *Alcini* tui.
Si de hac ſententiâ te dimouere nequeam;
Hoc ferro, iam mox, ſub conſpecto tuo
Pectus hoc transfodiam: aut ſi ſub ſpecie
Detrectes iam, factura poſthàc, ad tumulum tuum,
Tuoſq; cineres proprijs hoc evulſum manibus
Cor infœlix immolabo. *M.* Facies? *A.* Faciam: ni faciam,
Quicquid eſt in cœlo Superûm memor, & vindex audiat.
M. Aihime! *A.* Quid ais? *M.* Aihime! *A.* Per hoc *Melanthe* baſium
Liceat exorem. *M.* Impetraſti ferè; ſed me mori melius.

SCENA. 5.

SERRANVS. MELANTHE. ALCINVS.

M. Serranus eſt, quem iuſſi, me veniret monitum
Muneris, & officij mei. *A.* Hunc inſtituamus arbitrum.
M. Quâ de re? *A.* An mori tibi ſatiùs, an mecum fugere.
S. Melanthe, Melanthe, Inſtant vices tuæ. Quin citò. — S. Sohohow *Melanthe,* intus.
M. Quàm citò? puh. *S.* Tota ſacrificiorum proſodia
Iam fermè abſoluitur. Hymni, preces, & oraculi

Promul-

Promulgatio. Quid ſtas? *A. Serrane* chariſſime
Tuam appellamus fidem, & prudentiã. *S.* Breuiter *Alcine*, breuiter.
A. Melanthe Nicandri fugere decreuit nuptias.
S. Laudo. *A.* Sed morte propriâ. *S.* O indignum facinus!
A. Annon ergo meliùs mecum in Elida profugere,
Quàm has morte nuptias intervertere? *S.* Meliùs.
Mediùs fidiùs multo melius. *M.* Tune ais *Serrane* fidiſſime?
S. Aio. Si manus tibi inferas, in teipſam, in patriam,
In Dianam peccas abundè: tum ſi te ſemel
Orcus exceperit, non eſt, ab Orco qui te reducat Orpheus:
Sin cum *Alcino* fugeris, te pater, & patria
Reuocabunt indidem. Atque huius rei apud patrem tuum
Palemona, author & adiutor ero: Adiuvabunt alij;
Nam quis *Nicandrum* ferat ſacrorum præſulem,
Et Antiſtitem Arcadicorum? *A. Melanthe* quid hæſitas?
M. Vnum ſi concedas *Alcine*, viciſtis. *A.* Quid eſt?
M. Intactam me ſeruabis, donec aut aſſenſerit
Pater, aut è viuis exceſſerit. *A.* Iuro ſanctiſſimè.
Quin imus in Elida properè: Eſt ibi frater mihi
Polydamas Palæſtrâ nobilis, apud eum latebimus.
Quin imus, inquam. *M.* Extemplò nunc ire nefas.
S. Poſt erit rectius. *A.* Quidnam iſthuc? *S.* Dum mactantur victimæ,
Hanc patri decet aſſiſtere. Aromata ſuccendere,
Altaria farre, & ſale reſpergere; vinum affundere;
Veſtalem ignem adhibere; & reliqua Prothymata
Curare, quia Sacerdoti genere ſit, & ſanguine iunctiſſima.
A. Quorſum hæc? miſſa faciat omnia. *S. Alcine* ne dixeris.
Quinetiam tumultus fiet. *M.* A ſacris peractis *Admeti ad tumulum*
Te ad fugam parata conueniam. *A.* Quî potes?
M. Facilè. *A.* At tempus deerit. *S.* Nondum eſt meredies.
Vt Arcadiæ fines ſuperetis poſteà, ſat diei ſupereſt.
M. Vale, atque hanc fugam adornato. *A.* Vbi, inquam, convenies?
M. Ad tumulum Admeti. A. Ad Admeti tumulum: vale.
S. Iam *Melanthe*-- *M.* O dij immortales quid ago? quid paro?

SCENA. 6.

LEONISCVS. CERVINVS. *Satyri.*

L. Eugè! quàm pulchrè ſucceſſit? *Cervine*, quid agitur?
C. Iuvaret hîc dormire, niſi metuerem præcipitium.
L. Deſcendas. non tutum, neque iucundum eſt dormire penſilem.
Deſcendis annon? *C.* Feſtinandum lentè. Si ex arbore

Tam

Tam lentè quis descenderit quàm ascenderit, non est periculum.
Quàm stupent manus? Eluxata mihi penè crura, & brachia,
Dum arbori pavidus adhæsi: Hoccine Nymphis insidiarier?
L. Haaah Asine---non dico te asinum, aut bestiam,--
Sed--pish--tu ignarus es adeò. *C.* Quid ignarus adeò?
Ab his insidijs quid profecimus? Ecquid virginis es
Potitus? Egon' ignarus? pish. tu ignarus es adeò.
L. Haha.esto:licet:hahahe.quàm te ridere lubet?hahahe.
Annon formosa est hæc nympha? Quid tibi de puellulâ meâ
Videtur? *C.*Tua! hahahe.quomodò tua? quia vidisti? Tua! hahahe.
L. Mea, inquam. Hæc efficiet *aqua*, vt sit mea. heigh! mea.
C. Quare non irruebas in illam, vt efficeretur tua? *L.* Quia
Pastor hic perpugnax est: Eum expertus sum semel.
Tum in te nihil auxilij fore præscivi, si illos aggressus fueram.
An pugnare voluisti? *C.* Non libenter. Nescio tamen.
L. Nescio tamen--scio tamen. *C.* Sed quomodo futura est tua?
L. An audivisti nymphæ somnium? Sanè lepidum fuit.
C. De Satyris nescio quid se somniasse, dixisse illam memini.
At meâ nil refert. *L.* Spero equidem id tuâ referre nihil.
At meâ refert. Ah quàm pulchra est, & bella puellula!
Ah! hahahe: ah me fælicem! Tam scio futuram meam,
Quàm te *Cervinum* esse, aut te--non dico te asinum, aut bestiam.
C. Si diceres--*L.* Quid si dicerem? Sed *Cervine*,nolo dicere.
Amo te: te mihi comitem, & sodalem esse gaudeo.
L. Audivistin' etiam constitutum illis locum convenrui?
C. An audivisti tu? *L.* Rogas? *C.* me fugit. *L.* *Ad tumulum*
Admeti. *C.* Quid illud ad te? *L.* Pish pish, nihil intelligis.
Si Pastor illuc accedat prior, illum trucidabimus, aut ligabimus
C. Quid tum? *L.* Tum puellam advenientem rapiemus illicò.
C. At quid si puella illùc admigret priùs? *L.* Rapiemus impunè magis.
Tu ergo Satyriscos, & Faunos cum tibijs, & fistulis exquirito.
Erunt enim auxilio nobis, & oblectamento simul.
Raptam cantu, & saltu deleniemus, & nostrâ musicâ,
Pastorum nuptias imitabimur. Quàm erit hoc lepidum! heigh.
C. Vin' tu saltare? *L.* Maximè *C.* licebit & mihi? *L.* Admodùm.
C. Eamus. Tantan tan. heigh chick. *L.* Tan tan tantararan. heigh.
Erit vxoris loco mihi; tana ran. Quales procerabo liberos? hahahe
C. An læti erimus? *L.* lætissimi. *C.* hahahe. *L.* Rides *Cervine*? hahahe
Ah fælix *aqua*! ô fælix vasculum meum! sine te deosculer (hahahe.
Quàm disrumpor spe simul,& gaudio! hahahe *C.* hahahe. *L.* hahahahahahe-

Finis actus secundi.

ACTVS. TERTIVS.

SCENA. I.

MELIDORVS *solus.*

O Diana! tua dum Altaria colebam vnicè,
Cum fronte mihi concors animus, & vnus fuit.
Non aliud corde, & in ore gerebam aliud.
Tum ne *Sylveriæ* manus, aut oculi, aut papillæ niueæ
Gemini gemelli magis, quàm mens, & lingua mihi.
Iam sub imperio Veneris ego mihi fio contrarius.
Vt sim fidelis, fraudem facio; vt verus, fucum.
Sylveriam fugio, vt assequar; *Ermillam* sequor, vt fugiam.
Rebus & honestis artes adhibeo malas.
O Venus! cur *Ermilla* tam sit amoris avida,
Sylveria quem fugit magis, quàm lupum pecora?
An quia sub te sic viuitur, vt quæ nolumus, ex facili
Consequamur, quæ volumus omnia, sint in arduo posita?
O *Alcine!* quàm te verum inveni Amoris auspicem?
Simul enim *Ermillam* alloquor, audit, credit, annuit,
Locum, & tempus accipit. Quod reliquum est, O Venus!
Fac vt *Sylveria*, quæ velim, opportunè videat.
Sed quid hoc? Ecce *Sylveriam: Ermillam* priùs
Expectabam: nunc aliud consilium ineundum mihi.
Sohohow *Sylveria*: Quid nymphas tam citò reliqueris?

SCENA. 2.

SYLVERIA. MELIDORVS.

S. Te quærebam. Quid tu à templo tam citò recesseras?
M. Sub his vmbris te præstolari lubuit magis.
S. Sed cur *Palemon*, & sacrificantium reliqui
Per hanc Phœbi planitiem à Templo non redeunt?
M. Lucus Dianæ lustrandus erat; quod solis Arcadiæ
Primoribus in officio est. Id vbi fecerint,
Dulcissima Sylveria, per illas syluas ad tuguria
Reditus expeditior. Hoc fuit, *ô mea, ô dulcissima.*
S. Eiah! quàm mellita verba *Melidore !O mea!*
O dulcissima! Vnde hæc quæso *Melidore* tibi?
M. Est amicitiæ mellitæ, verbis vti melleis.
S. Factis, non dictis mel amicitiæ cernitur.
M. An decet, amicis inclementer, & inimicè loqui?

S. Non

S. Non decet: at blanditias decet insulsas fugere.
M. In corde rosas esse vis, & in ore spinas?
S. Non me assequeris, *Melidore*. Amicos stabiles,
Et firmatos blanditiarum puderet huiusmodi.
M. Cuiusmodi? S. *Ah mea! ah dulcissima! deliciæ fœminæ!*
Mea serenitas! meus Zephyrus! Aprilis meus!
Quàm sunt hæ leues, & inanes nugæ, & viris
Indignissimæ! *M.* At te fœminam *Sylveria* memineris:
Fœminasq; virum decet molliùs, & leniùs alloqui.
S. Molliùs! si quæ forte sit vxor, aut amasia:
Sed amicam adeò molliter affari dedecet.
M. Ipsa Diana nil potuit acriùs. O *Sylveria!* --
S. Quid manum etiam tam attrectas pressiusculè? pish.
M. Flammas amoris negas, huius manus niuem quoque
Ne inuideas. S. Manus hæc mea si nix fuerit,
Diffinges premendo, vel tractando liquefacies.
Mitte ergo. Quænam etiam hæc lateris mei complexatio?
Et circumcinctio penè? *M.* Zonam vigineam
Putes, vel Dianæ cingulum. S. Vel magis Ceston Veneris.
M. O vtinam! S. Ehem. Tolle manum; abscedas obsecro.
Pish. Non placet. *M.* Quare? S. Quia videtur indecens.
M. Indecens! Nunquid odiosa tibi contactio mea?
Nunquid eo es impudicior, aut inquinatior? S. Minimè.
Sed subesse nescio quid, quod non decet, intelligo.
M. Quia minùs tibi placeo, quicquid ago, non decet.
S. Quid hoc *Melidore*? An somnias vigilans,
Qui vigilabas hodiè dormiens? si minùs placeas,
Vide ne sis factus alius. Ecquid es voti memor?
Non sum cæca *Melidore*. Quid enim tu cum *Ermillâ* hodiè
Tam blanditer in Templo collocutus es? caue, caue.
Rupem illam vides? vides? quam læsæ, & offensæ Dæliæ
In vindictam statuere maiores nostri? vnde præcipites
Agendi, qui vota Dianæ nuncupata minimè persoluerint?
M. Quid inde? S. Quid itaque dixeris *Ermillæ* caueas.
M. Quid ego dixerim *Ermillæ*, ab *Ermillâ* roges.
En vbi plena cogitatis inambulat. S. Quò te igitur?
M. Mox adero: hîc quæso dum redeo, maneas.

SCENA. 3.

ERMILLA. SYLVERIA.

E. An ille me? O Venus! S. O Diana! hic ille quis est?

E. An me Paſtorum delitiæ? S. Quàm pulchrè conuenit,
Vt paſtorum delitiæ nympharum nugas? ſed ſilentium
Imperandum eſt mihi. E. Iam tandem illuxit dies,
Quo poſſis *Ermilla* meritò triumphare. Iam licet
Nymphas omnes Arcadiæ miſellas deſpicere.
Amatorem nacta, qualem non eras auſa Deos
Rogare. S. Hah. E. Eas nunc *Alcine*, quò lubet, eas, eant alij.
Huic vni me propriam dico. S. Ehem. E. Sed paſtor hic meus
Ad conſtitutum cur tam tardus accedit locum?
Quin paras te potiùs, vt illum accipias lepidè.
Multi bona perdidere, dum bonis vti neſciunt.
S. Quorſum evadet? E. Cùm ad me accedet, ego nolenti ſimilis,
Aut parùm intelligenti, quæ cupio negabo ſubdolè.
Sed quod alterâ repello, manu traham alterâ.
Dextram ſi præhendat; renuam, piſh, fy: tamen inuita quaſi,
Permittam: & dum reijcere videor, leuiter illi digitos
Subſtringam, & placidè. S. O Cœlites! E. Sin baſium
(Quod faxit Cupido) petat: videbor emirari protinùs,
Ac ſi novum hoc eſſet, & inauditum: ſin inſtet acriùs:
Modò non repetere promittat, quaſi nolens dabo,
Quod dari velim maximè. At ſi, at ſi prudens repetat,
Sine iniuriâ mihi factâ feret. Volenti non fit iniuria:
Simulandum tamen, quaſi nefas hoc eſſet incredibile, piſh, fy.
Artis enim fœmineæ caput eſt, ibi vultu refugere,
Vbi voto præcurrimus. S. Qualem O Diana! fœminam!
E. Vbi autem amorem, ſed non ante plures eiuſmodi
Vices, exorauit, nuptias exoptatas in multos deinceps dies
Differre velle videbor, ſed clanculùm accelerabo tamen.
Intereà verò quantis gaudiorum præludijs dies
Beabimus intermedios? Nunc ſub vmbrâ reclinabimus,
Cantu, & carmine concertantes; nunc labia mutuis
Fatigabimus oſculis; & breui poſt, O qui complexus! quæ gaudia!
O Venus!--Sed quid hoc? An corpus vnum vmbras emittit duas?
S. Manifeſta ſum. *Ermilla* reſpice. E. Nunquid ex inſidijs
Sermones aucupaſti meos? S. Quid ego inſidias tibi?
Sed omnibus hoc vitium eſt amantibus tacenda loqui.
E. Quanto magis tacenda *Sylveria*, tanto iucunda magis.
S. Quin potiùs è diametro. Nam quod abſtruſo recondendũ pectore.
Non ſine vitio gaudium; & à vitio gaudium aceſcit citò.
Sed *Ermilla* tibi vitio non vertendum: quia ſic ſunt gaudia,

Veſtrum

Vestrum omnium, quæ Venerem colitis. E. An Venerem colere
Infœlix, aut inhonestum? S. Certè inhonesto proximum.
E. Parce maledicere. Nam neque potentiâ nec in homines meritis
Dianæ posthabenda Venus. S. Venus! quam Iocus leuis
Circumvolat, & amens Cupido! An illa par Cynthiæ?
E. Cynthiæ! quam comitatur inculta tristities, & virtus horrida,
Nec non bonorum nescia. Est Diana-- S. Est Venus-- E. Agè,
Ecce vbi Nympha se proripit; hanc ponamus arbitram,
Vtra sit istarum Dea maior, & cultu dignior. S. Placet.

SCENA. 4.

MELANTHE. SYLVERIA. ERMILLA.

M. Scylla, Medea, Ariadne, & tu Thysbe Babylonia,
Lachrimabiles olim amantes, audite-- E. Heus Nympha, liceat
Vno te verbo. M. Aihime! quæ vox? S. Nisi simus molestæ tibi,
Te iudicem appellamus. M. Men' iudicem, Nymphæ bellissimæ?
Aliam quæratis obsecro. Ego rea sum sistenda magis.
E. Quàm sis prudens quærimus, non quàm pia, & innocens.
S. Rectam sæpe sententiam iudex in se nocens tulit.
M. At me curæ premunt aliæ. E. Nequicquam ne vis, mane.
S. Expediemus breuiter. M. Non me norunt: salva sum.
E. Quid ais? M. Quin expedite breuiter: Quam litem intenditis?
S. Ego Dianam. E. Ego Venerem laudo. M. Aequum facitis, & bonum.
S. Sed ego Dianam præ Venere. E. Ego præ Dianâ Venerem
Extollo. M. Ne sic pessimè. S. At ego Dianam Veneri
Præpono. S. Atqui ego Dianam Veneri posthabeo.
M. Tacete audaculæ. An audetis Divas inter se comittere?
An ego Nympha mortalis de Dijs immortalibus
Sententiam feram, Midæ regis, & Paridis immemor?
S. Rectè mones, & piè quidem. E. Id nempe volumus;
Vtrum Amare, vel non Amare sit Nymphæ iucundius.
M. Scilicet id quæritis, An amantibus, vel non amantibus
Veriora contingant gaudia. S. Intellexti probè. E. Scilicet.
M. Vtrisq; gaudium esse potest: quid litigatis? S. Quia
Est Amor animi morbus. E. At morbus sanitate potior.
S. Est fletus pater, & suspirij. E. Nec minus risus & gaudij.
S. Somnum adimit. E. At quod somno demitur, vitâ reponitur.
S. Libertatem minuit. E. Minuit, vt pòst augeat magis.
S. Mortem festinat. E. At vitam priùs vt perficiat.
At Amorem quæ non nouit Nympha, est-- S. Quid est?
E. Est Rosa, sed hortis quæ secretis nascitur. S. Spirat ergo sibi.

E. Eſt gemma,ſed nondum ab artifici polita manu.
S. In ſe dives, & pretioſa manu non eget artifici.
E. Eſt terra, ſed inculta. *S.* Deos habet agricolas.
E. Eſt alijs planè mortua. *S.* Eo magis viuit ſibi.
E. Sed ſolitaria *S.* Sic Phænix. *E.* At non renaſcitur.
S. Sat eſt vixiſſe ſemel, vitam ſi vivas benè.
E. Neſcit humana gaudia. *S.* Vt divina ſapiat altiùs.
M. Caſtitati ſatis, & ſatis amori datum. Nunc abeam ſinitis.
E. Indictâ ſententiâ? piſh. *S.* Abſit moleſtia; Sententiam ne neges.
M. Nymphæ, dum non amavi vigui, poſtquam amavi perij. *S.* hah.
M. Sed nunc perire mallem, quàm non amare. *E.* ha! *Sylveria.*
M. Valete nymphæ. *Amb.* St hem. Mane. *M.* Haud arbitrariò
Perit, ſuarum oblita, quæ res alienas agit.
E. Heigh, Quàm pernix fugijt? *S.* Nympharum quæ ſit hæc,
Nequeo mirari ſatis, *E.* Quæcunq; fuerit, à me ſententiam tulit,
S. Non tulit. *E.* Tulit, non tulit, mallem paſtorem tuum
Oculis vſurpare. *S.* Paſtorem meum? *E.* Quid dixi *Sylveria*?
Non, non. Paſtorem meum. *S.* De *Melidoro* quàm metuo?
Paſtorem inquis tuum? *E.* Tuum, meum inquam. *S.* An is eſt?
E. Vbi. *S.* Videas vbi incedit. *E.* Oh *Sylveria!* perij;
Si me *Nicander* præhenderit, perij planiſſimè.
S. Quin fugis ergo,priuſquàm te conſpiciat. *E.* Tum datam fallo fidē.
S. Cui? *E.* Paſtori meo. Ah *Sylveria!* *S.* Verùm ego abeo.
E. Imò maneas quæſo,dum *Nicander* abierit; quæſo maneas.
S. Concedas ergo. Dum paſtor ille tuus adveniat maneo.
Eſt enim, quod animi ſubincerta de *Melidoro* metuo.

SCENA. 5.

NICANDER, ERMILLA, SYLVERIA.

N. Non hàc,neque illàc. Sohohow *Melanthe.* Vbi es gentium?
Quid faciam? Vbi illam quæram? Auh! nymphas conſpicio;
Sylveria eſt. *E.* Me miſeram aſpexit. *N.* Fortè ea eſt,
Quæ *Sylveriam* pone tam latebroſè ſe occulit. Salve *Sylveria.*
S. Et tu. *N.* Liceatne? ha *S.* Quid me circumſpectas? *N.* Ah *Sylveria*!
Annon à tergo tibi nympha quædam eſt? Quid id tuâ? hah.
N. Ah ne ſævi.Noli,*Sylveria*,nos amatores contemnere.
Eſt mihi pater dives ſatis. Dicam tibi quot greges alit.
S. Hahahe. Dignus es qui greges æternùm cures. Quid vis tibi?
Abſiſte. *N.* Quæſo *Sylveria*: eſt illa fortè nympha mea.
S. Quænam tua? *N.* Neſcis *Sylveria*? tune neſcis? eſt *Melanthe* mea.
S. Non eſt. *N.* hah. Certè veſtes *Ermilla* video. Oh Iupiter!

Ermilla

Ermilla est. *E. Ermilla* sum; quid ergo? *N.* Ah nequissima!
E. Adiuva me quæso *Sylveria*. *S.* Vin' in nympham irruere?
N. Quæso, *Sylveria*, sine me. *S.* Abstine. *E.* Cave tibi:
Hac ego te confodiam sagittâ, ni abscedas longiùs.
N. Vin' dicam *Sylveria* quantum hanc *Ermillam* olim amaverim!
S. Nolo. *N.* Vin' dicam quibus hodiè me habuit modis!
S. Nolo. *E.* Quibus es dignus. *N.* Non est, quod dicam tibi.
Vin' ergo dicam quot greges alat pater meus Aristius?
S. Non, non, hahahe. *E.* hahahe. *N.* An tu rides etiam, pervicax?
Ego te--Quæso *Sylveria*. Omnia minoris facio,
Præ quàm quibus modis me ludos fecit hodiè. *S.* Mane.
E. Vin' manus ligatas? vin imponi festucam in os iterum? oaoh;
N. Vtinam ego te in his vlnis amplecti queam? *E.* Quid ageres?
N. Ego te nequissima--basiarem--ha--vsq; ad necem.
S. Pulchrum sanè vindictæ genus? Hæccine *Nicandrum* decent,
Qui futurus est nobis olim summus sacerdos Cynthiæ?
N. Pol *Sylveria* rectè mones; oblitus eram mei: sic potiùs, fateor,
Me graviter oporteret incedere, & pontificaliter. *E.* hahahe.
N. Rides *Ermilla*? contemno te, similesq; tui. Tum me decet
Excreare prudenter, & magnificè. hum. hake. *E.* Non, non: hoc modo.
N. Pish. An me docebis rectiùs quâm *Palemon* socer, aut pater meus Aristius?
S. Quomodò te docuere? *N.* Ad hunc modum: Non non, hoc modo.
Nec isto: Sanè *Sylveria* penè oblitus sum: sed mirum in modum
Instituerunt optimè. Sed, vt sum caudex, obliviscor omnium.
E. An oblitus es amoris quem debes mihi? *N.* Amorem tibi!
Debeo vindictam potiùs. Sed quià sum hæres Flaminis.
Inaugurandus hodie, ignosco tibi. *Ermilla* vale. *E.* Ah *Nicander*! hahahe-
Siccine tuam *Ermillam* deseris? *N.* Nihil audio. *E.* Hei mihi! hahahe.
N. Surdus sum. *E.* Quin semel rogo. *N.* Serum est: vale, vale.
E. Eheu! hahahe. *N.* At tu *Sylveria* (quæso) dicas mihi,
Si *Melanthen* hàc euntem videris modò. *S.* Quid tibi
Cum illâ iam. *N.* Nescis? In vxorem mihi locanda vesperi.
S. Quid tum postea? *N.* Quare patrem (tu eum nosti) *Palemona*
Exoravit, vt daretur ei mecum alloquendi copia.
E. Tecum! *N.* pugh. *S.* Quare? *M.* Ne peregrino nuberet,
Aut incognito. *S.* Perge. *N.* Tum-tum--*E.* Porrò. *N.* Tace tu,
Tum (ita vt occepi dicere) concessit pater: Locus colloquio
Vallis Dianæ constitutus. Ego--*E.* Quis? *N.* Pish. *Nicander*, ego
Inquam, illuc me; ibiq; maneo diutulè; sed nulla venit.
E. Quæ? *N.* Nempe *Melanthe*. Huc igitur illam quæsitum propero.

S. An illa in vallem non ambulavit vnà tecum? *N.* Minimè.
Aliquid--auh velum, velum deesse dixit, quod dum quæreret,
Me iussit illam ibi præstolari. Feci: sed frustrà. Eam itaq; si vidistis; dicite.
S. Ermilla, ipsa fuit, quæ præteribat nympha modò. *E.* Proculdubiò:
Sed illi ne dixeris. *N.* Auh, Certe vidisse videmini. Quà abijt?
S. Illâc. *E.* Non non illâc potiùs ad dexteram. *N.* Quid ais *Sylveria*?
Namq; *Ermillæ* non credo. Quid ais? S. Nihil nego.
N. Valete. Si dixisses *Ermilla* sola, non credidissem tibi.
E. Certè profectò, gratiam habeo. *N.* Invidebis *Ermilla* vesperi,
Cùm me sponsum tam elegantem videris. Vale vale.
E. Quot greges alit pater tuus Aristius? *N.* Nihil dico tibi.

SCENA. 6.

ERMILLA, SYLVERIA, MELIDORVS.

E. Ipsa fuit *Melanthe* procul omni dubio, quæ stipitem hunc fugit.
S. Credo equidem. Hinc E*rmilla*, quid sit amare, cognoveris.
Iussa patris contemnere, &--*E.* Et! An id tanti facis *Sylveria*?
S. O Cynthia! *M.* Has simul ambas alioversum nunc videre me velim.
S. Hui *Ermilla*! *E.* Hui *Sylveria*! Sed videon' Pastorem meum?
S, Dij me!--*E.* Quo fugit? *S.* Est illic *Melidorus* meus.
E. Recedit fortè, quia *Sylveriam* simul hìc aspexerit!
S. An amat? an *Ermillam*? Sic datam servat fidem!
Certum est mihi hanc rem ab insidijs comprehendere.
E. Quid secum *Sylveria*? S. *Ermilla* Veneri, & Pastori te comitto tuo.
E. Oh si nunc adesset! Hâc iam amotâ non diù aberit.
Atq; ecce vbi timidè ingreditur speculanti similis?
Nùnc *Ermilla* para te graphicè.

SCENA. 7.

MELIDORVS. ERMILLA. SYLVERIA *in insidijs*.

M. Eugè! *Sylveriam* tetigi.
En vestem per arbusta video; Excubias agit.
O Venus, fac vt *Sylveriam* per latus *Ermillæ* vulneres.
E. Iam me videt. *S.* Ad *Ermillam* rectâ. Ahimè, quid video?
M. Salve plurimùm *Ermilla*. *E.* Nec tu salveto *Melidore* minùs.
M. Quas ego tibi gratias agam *Ermilla*, quæ tam libens
In has vmbras secesseris meâ gratiâ? *E.* Gratias ecastor non sum merita,
Mitte *Melidore* gratias, quid gratias agis immerenti mihi?
Quin loquere quid me vis? *M.* hum. ah. *S.* Quàm blanditer ab exordio!
M. Indoles, & ingenium animi, mores venusti, decus & gratia corporis.
E. Nam cuius *Melidore*? *M.* Illius *Ermilla* quæ me videt.
S. Mei! mei *Melidore*! verùm quid ista? *M.* Amare me

Cogunt.

Cogunt. *S.* Aihime! Iam votum illi perijt. E. Amare te!
Iocaris ecastor. *M.* Quid aliud oculorum astra? *E.* Pugh. *M.* Genarū purpura,
Labiorum fraga, Ceruicis ligustra? *E.* Pugh. *S.* Hæc eadem est,
Quam per insomnium vidit hidiernū. *M.* *Ermilla*-*S.* Hæccine ea est,
Quam somnians vigilans cogitat? *M.* Hæ, hæ Cupidinis
Sagittæ cor violarunt meum. *E.* Vnde sanari cupis?
M. A te. *E.* A me? *M.* Aut saltem per te. Manus hæc medica
Partem doloris aliquam leuabit mihi. *E.* Hæc manus!
Pish fy. *M.* Quid renuis? Cùm quis indemnis possit alijs
Medèri, plusquàm crudelis est, si medicinam negat.
E. Nemo sanat, quod nescit: morbum manus hæc ignorat tuum.
M. Manus has nostras sine loquantur inuicem: manus mea
Tum tacitè loquetur tuæ. *E.* Quid? *M.* Nymphæ meæ dextera
Tantum contactu sanat, quantum ab aspectu necat.
S. Ni videns, & presens, quis *Melidorum* crederet,
Tam futulem esse potuisse? *E.* Surdastra mihi manus, nihil percipit.
M. Loquantur itaque labia nostra: Quod manus exprimere
Nequeunt, docebunt labia clarissimè. Est labium turgidulum,
Et roseum cordis interpres optimus. *E.* Quonam abutitur
Sermone? *M.* Nescis? Osculorum *Ermilla*. Audi. *E.* O facinus!
M. Egregium! *S.* Longè indignissimum! *M.* Vnnm ni detur basium,
Pereo. *E.* Vnum ferendo basium, inuitamus plurima.
M. Quousque solum vnum negabis mea? quousq; dulcissima?
E. Modò ne repetas, non nego. *M.* Repetere vetas,
Quod nondum peto? *E.* Non petis? *M.* Quod, inquam, non impetro.
Ah nunc *Ermilla*, nunc places. Hoc vno ab osculo
Mille posthàc nascitura confido gaudia. *E.* Mirus es
Ecastor *Melidore*; quis te tam peritum amoris crederet?
S. Infœlix illa peritia est, quâ peritus perit. *M.* Quid iuvat,
Peritum esse me, illa, quam amo, si nihil intelligat?
E. Nescis, quantum intelligat illa. *M.* Ergo responde mihi:
Ecquid amari me dignum putas? *E.* Id alio dicendum tempore.
M. Quando? *E.* Cùm te proximùm conuenero. *M.* Nunc oro potiùs.
E. Iniquum oras: nunc ad nympharum chorum, vbi sum
Adesse pollicita, properandum est. *M.* Quando conuenies iterum?
E. Propediem. *M.* Vbi? *E.* Hîc. Vale. *M.* *Ermilla* vale; sed priùs
Hoc osculo salutem des mihi. *E.* *Melidore*, quid agis?
M. Corollas quoque commutemus inuicem. An negas rem tantulam?
Leuioris hoc gratiæ symbolum. *E.* Vides quàm nihil negem tibi.
Euge! Recenti amatori nec nihil dandum, nec omnia.

 S. O Cyn-

S. O Cynthia! tam facilis audis hæc ſcelera? tam lenta vides?

SCENA. 8.

MELIDORVS. SYLVERIA.

M. Sed metuo, vt quid ſit factum perſpexerit *Sylveria.*
Eugè! En vbi per virgulta pellucet, vt per nubeculam
Cynthia. Perſenſit ſcio. O Venus! des exitum
His rebus meis lætum. En vbi ſtomachoſa prodit.
Quàm tremo, horreoq; miſer? Ab hac medicinâ gravi,
Deploratis vt ægris, aut ſalus, aut certa mors eveniet.
At teipſum ne deſeras *Melidore*: timorem diſſimula;
Animum commaſcula. hum. ehum. O *Sylveria*, quorſum aberas tam diù?
Quid te triſtem video? vnde iraſceris? Quid dolet tibi?
S. Præter Melidorum nihil. ah! *M.* A principio pulchrè: vritur, vritur:
An doloris tibi cauſa *Melidorus* tuus? *S.* Tuus! Meus!
O *Melidore* vnde exordiar? aut quid primum dicam tibi?
Perdidiſti te, atq; me, & patriam, heu miſeram patriam!
Cuius hæc tellus tuum votifragium, & hæ ſentiunt arbores.
Hinc ira Deorum eſt hinc fames, morbi, *Siccitas.*
M. Quodnam inquis votifragium? *S.* Quid vltrà ſimulas?
Vidi, & audivi omnia: atq; vtinam aut ègo auribus,
Aut tu linguâ caruiſſes. *M.* Quamobrem? *S.* Rogas? Quia
Voto tam ſanctè Cynthiæ nuncupato vim factam inaudij.
M. An nympham mei amantem humaniter accipere,
Vim voto facit? *S.* Nympham laſcivam precibus, & baſijs,
Idq; repetitis accipere, liberalis ecaſtor humanitas.
M. An illiberale adeò ſemel hoc animi cauſâ facere?
S. Hei mihi defendis etiam? An igitur animi gratiâ
Ab illo *ſaxo* præcipitari iuvat? Væ miſeræ mihi!
Vide, quid feceris *Melidore*: factum eſt operâ tuâ,
Vt vel tibi ſim crudelis, vel inimica patriæ,
Vel (quod vtroq; maius,) in Dianam perfida.
M. Quid hoc? quorſum evadet? *S.* Votum ſic ſoluis tuum?
Datam ſic ſervas fidem? ſic ſceleri ſtultitiam induis?
M. Quod votum, quam fidem, quam ſtultitiam memoras?
S. Hui non intelligis! Ita ferè fit; Omnis ſtulteſcit impius.
Nam in *Ermillâ* dum peccas ſtultitiam adijcis
Impietati. *M.* Quid in *Ermillâ* peccavi? *S.* Amas.
M. At ſi non amem--*S.* Negas? *M.* liceret. *S.* Quid audio?
M. Quod verum eſt. *S.* Nihil ne tibi frontis ſupereſt?
M. Quantum viro bono ſat eſt. *S.* Et hæc negas tamen?

M. Vbi voles, nego: & sanctè iuro : atq; amoris nihil
Ab *Ermillâ* rogasse me, Dianam testem invoco.
S. Tace sacrilege; An eò ventum est dementiæ
Tam statim, vt scelus scelere, velandum putes?
Votifragium novo periurio? ne tellus dehiscat metuo.
M. Vera memoro. *S*. Quàm sint hæc vera summus sacerdos Cynthiæ
Palemon viderit, Vale. *M*. Verùm audi *Sylveria*.
S. Nihil audio. Dianæ causâ in me, in te, in patriam sæviam.
M. Hah! *S*. At ô *Melidore*! Deos læsisse, quàm sit miserum, vide:
Ego, quæ pro te centies non dubitem mori,
Huius non esse nequeo sceleris testis, & index tui.

SCENA. 9.

MELIDORVS *solus*.

Haugh! Quid dixit? *An ab illo saxo præcipitari iuvat?*
Quàm sint hæc vera summus sacerdos Cynthiæ
Palemon viderit! hah. Ergo mors non abest procul.
Sed aliquid dictum meminisse videor his gravius.
Memini, sed fugit : auh! non, non: sed fuit his gravius, gravius, &c.
Hah, *votifragum*, auh id fuit: *Melidorum votifragum*,
Et periurum, & stultum habet Sylveria.
O Diana! sed tu meis obsurdescis precibus.
O Venus! sed tibi lascivæ non vacat servare tuos.
O Superi! Sed vos non exauditis impios.
O Inferi! quantum est, hoc quovis fato gravius?
O Quantum hic stupeo! metuo ne in marmor abeam.
Hic me oporteret--oporteret--sed quid oportet, nescio.
Siccine succedunt fallaciæ mihi? Vt per quietem aliquoties,
Vrsum, aut leonem, aut intractabilem tygrida
A tergo inhiantem mihi, vidisse memini,
Et cùm fugere cuperem enixè, membra mihi
Nitebantur contrà, atq; omnes artus stupor
Lentus, & tenax occupabat: sic sævientes, & truces
Me curæ premunt & insequuntur vndiq;,
Quibus me subducere, vnde incipiam, nescio.
Id tantum sentio: his vnam malis omnibus
Sylveriam mederi posse. Ad illam quid non eo? Ibo. Eo.

Finis Actus tertij.

ACTVS QVARTI.
SCENA. I.

LEONISCVS, CERVINVS, MELANTHE,
Cum choro Satyrorum tybias inflantium.

M. QVò me rapitis? *L.* ſt. Silete. *M.* Hæc me acceleratio
Ad languorem dedit: vel reſpirem ſinitis. *L.* Siſtite.
C. *Leoniſce*, eſt hæc planities ſaltationi peraccommoda:
Hìc ergo ſaltemus, hic nympham noſtris tripudijs
Et cantu reficiamus. *L.* Chich, pol rectè mones. *M.* Oihinnè!
L. Quid triſtis es nympha mea, mea belliſſima.
Ego te amo, & ardeo vincè. Quanto tu nymphis alijs
Beatior? guſtabis qualem nos Satyri vitam degimus,
Satyri Deorum incrementum. *C.* Heus nympha! Ecce me;
Iam Sylvano creatum vides. heigh. *L.* Ecce te! Si auſis iterum
Hanc meam alloqui, vel contueri, peribis illicò.
C. Non contueri! Ipſam, ſi hìc adeſſet, Cynthiam
Contueri liceret. Vale ergo. *L.* Non id eò dixi: mane.
C. Non maneo. *L.* Saltabimus vnà. *C.* Eâ lege maneo. Sed--
L. Piſh ſed-- Heùs nympha, eſt hic valdè bonus, vt vides,
Licet iracundior æquo, eſt tamen amicus tolerabilis.
M. Fieri poteſt. *L.* hum. *Cervine* ſaltemus, & tu prior incipe.
C. Libens. Agite.* Non illam volo, volo, quam cum Thyſtili
Sylvanus ſaltare ſolebat olim. *L.* Neſcitis? tantan: &c.* ea eſt: optimè.
Nunc *Cervine* te virum fac oſtendas, dum hìc nympha ſteterit
Ex adverſo tibi. *M.* His me paulùm obſecundare decet,
Saltem vt hìc mora lucrifiat, haud aberit *Alcinus* diù.
Quid ais Nympha? *M.* Nihil planè. *C.* Iam agite;
Paratus ſum heigh.* *L* Quid tibi videtur? Ecquid probas?
M. Maximè. Sed tu poſſes meliùs. *L.* Spero equidem.
Beatum me! iamdudum me amat. Inflate Panicam
Quam dicimus, cuius inventor magnus ille Paſtorum Deus
Ad Ladonis Ripas cùm Syringa peteret.
* Annon ſic, ſat eſſe credis doctè? *M.* Eugè! doctiſſimè.
L. Quod & invideat Orpheus veſter etiam cantare didici.
Si placet audies: Heus *Cervine* ſuccinito mihi. *C.* Libentiſſimè.
Adiutabo ſtrenuè! ſo ſo. hum hum. *M.* O vtinam hinc aliquà
Fugere daretur! *L.* Auſculta auſculta, quid tecum tibi?

* Hic Satyr. tibias inflant, ſed non arridit cantio.
* Inflant iterùm.
* Finitâ Cer. ſaltat: *L.* infit.
Finitâ Leon. ſaltat: addit Leoniſce.

Fugit

*Fugit nympha. *L.* Oh me! Quæ tibi libido nos fugere?
M. Iocabar equidem *L.* Perfectâ mox cantiunculâ
Quò lubet ibimus. * Voluiſtin talem corrumpere
Cantiunculam? *M.* Minimè. *L.* Vin' aliam inſuper? *M.* Si placet.
C. Verùm audi *Leoniſce*; oblitus videre vaſculi tui.
L. St. Ad eam rem commodiſſima dehinc captanda eſt occaſio.
Iam vides nympha, qualem nos vitam Satyri vivimus.
Annon Paſtoritiæ præſtat? Quid ais? *C.* Annuit ſilentio.
L. Verùm alia tibi vitæ noſtræ ſuaviora monſtrabimus.
Eamus. *M.* Quò me ducitis? maneamus hìc potiùs, obſecro.
L. Quid retrectas? *M.* Præ laſſitudine conficior miſera.
L. At eò te ducimus, vbi recreabere multò rectiùs.
M. Hic niſi maneamus parumper, non licebit poſteà,
L. Nunquid ergo laſſa es? *Cervine* attendas. Te laſſatam doleo.
Vin' potu ſpiritum fovere? *M.* Si quis daret mihi.
L. Hem tibi. M. An bonum daturus es? *L.* Experiundo ſcies.
M. Num vini quid eſt? *L.* Deorum immortalium nectar bibes.
C. O quàm vellem biberet! Hei mihi! delicata renuit.
M. Tuâ benignitate frui libet, & de labore ſitio;
Sed mens mihi, neſcio quid, præſagit mali tamen.
L. Mittas proinde: eamus. Sities magis fortaſſe veſperi.
Eamus. *E.* Quàm cordi fuiſſet huius aquæ experimentum capere?
L. Eamus. M. Quo? *L.* Domum meam. *E.* Domum! hahahe, domum!
Speluncam intellexit. M. Vbi illa eſt? *L.* In denſiore nemore.
Ibi erit, quod edas, & quod bibas affatìm. M. At ego
Mallem hic pauliſper deſidere. *L.* Bibas, maneas.
M. Bibam; cedò potum. C. *Silvane* pater! bibit, iam videbimus--
M. Eh. *L.* Proſit, proſit M. Aquam dediſti. *L.* Quippini.
M. Atq; ego per inediam, & ſitim nuperam hauſi profundiùs.
L. Tanto proſit magis. M. Iam triſtis imago ſomnij ſubit.
Aihimè! quid faciam? ad *aquam* perduxere Satyri.
Non hic lacus, aut fluvius, ſed eſt aqua: quam metuo cætera?
L. Quid ais mel meum? M. Quid hoc eſt! *L.* Ecquid me amas?
M. Hah! quid? *L.* Amabis illicò. *E.* Permittas illam pauxillum ſibi.
M. O Diana! *L.* Iam aliquid in ſe perſentiſcit novi.
M. Quantum tranſmutor? *L.* Audin? Iam in amplexus ruet.
C. At non videtur amanti ſimilis. Pallida torpentibus
Stupeſcit oculis. *L.* Illud eſt amantium: ſic ſolent.
M. Eheu! quis intus torpor, quod frigus iners mihi
Per membrorum inambulat meacula? hîc ſentio, & hîc;

* In mediâ cant. fugere parat M.
* Finitâ cant. quam rurſus inceperat, pergit.

Iam cor ipsum petit: en artus officium negant.
Proh somnium! Quàm est hæc *Aqua* transitu difficilis!
L. Agedùm nympha. Frigus hoc in flammas euadet modò.
M. Abscede monstrum. Quale mihi virus ebibendum dederis?
Sylvæ præter vos monstrum habent, aut pestiferum nihil.
Ecce autem oculorum acies iam subitò deficit.
Ah *Alcine*! quid tam tardus es? tandem ad morientem veni.
Hoc solùm grata mihi mors, tuâ quod gratiâ morior.
O Pater! tua durities in hanc mortem filiam adigit;
Ignoscas mihi tamen. Et vos cœlorum numina,
Et tu præ cæteris Cynthia, amanti ignoscite.
Non patrem adeò, quàm vos fugi: hęc etsi nocenti mihi
Mors subeunda, at *Alcino* (precor) innocenti parcite.
Ah *Alcine*, vtinam te videre fas esset, priusquàm moriar,
Sed vt te cernere possem, dubito; tanta nox oculos ptemit.
L. Auh quid video *Cervine*? *C.* Caue ne te fefellerit *aqua* tua.
M. Omnia volvuntur circùm: Labasco. morior: *Alcine*! *Alcine*! aihime! me!

SCENA. 2.

LEONISCVS *& ijdem.*

L. In terram prolapsa est. Accurre *Cervine*, accurrite reliqui.
Hei mihi! mortua est. Heus Nympha! audi: quid amantem fugis?
C. Næ tu amans elegans es. O quantiuis aquam pretij!
Quæ tam nullo negotio fœminas interimit: quot maritos noueris,
Qui ab hoc fonte aquam quotidie peterenr? *L.* Derides etiam?
C. Non, non: nunquid alibi huius examen *Aqua* videris? *L.* Nullibi.
C. Tum falleris planissimè. *L.* Eheu! quàm friget illi manus adeò?
C. Si mortua sit, habes consortem pacatam, & morigeram.
Quid ploras? pro mortuâ viuentem non pauci dabunt.
L. An in re tam seriâ ludis? *C.* Oho, Ego sum asinus, & bestia. hum.
L. Est hæc *lympha* virus. Quid me deciperet *Glaucus* pater?
Certè plorare iuvat. eheu. præter hoc damnum nymphæ meæ,
Iratam mihi Dianam nactus sum: quid faciam? Dic aliquid modò.
C. Meum si consilium expetas. hum. audi. Fugiamus quàm citissimè.
L. At de tam formosæ Nymphæ cadauere quid fiet interim?
C. Pone hæc arbusta retrahamus, ibiq; recondamus placidè.
L. Fiat. *C.* Quid stupes? quid tristis es? Semel moriendum omnibus.
L. De hâc *Aquâ* tam malè cecidisse dolet. *C.* Serum id nunc nimis.
L. O dilecta mihi! quanta per te sperabam gaudia?
Quin mortem huius nymphæ carmine celebremus funebri.
C. Quo scilicet? *L.* Eo, quo Leporinam nuper defunctam fleuimus.

C. Age:

C. Age: non deero tibi. Agite. Tu *Leonisce* incipias.
*Sic oportuit: nunc illam amoliamur. *L.* Licet. *C.* Quid si vasculum
Ad caput ei apponas, vt videri possit arbitrariò
Venenum bibisse? *L.* Consilium placet. *C* Quin citò, citò.
L. Effectum dedi. *C.* Auh ego sum asinus, & bestia: ahah!
At ecce vbi pastor aduenit: properè fugiamus, properè, properè.

Leoniscus exit & finitâ cant. pergit Cervinus.

SCENA. 3.

ALCINVS *solus.*

Melanthen ad Admeti iam priùs accessisse *tumulum*,
Et hàc ivisse deinde, commonstrat hæc rosa Cypria.
Hucvsq; non vanus sum. Idem testantur hoc Spiculum,
Hi Flores, & hæc Rosa, & hæc Fascia, & hæc Rosa posteà:
Sed in hoc multiuio quâ viâ prætereà pergam, nescio.
An hàc ad Templum; an isthàc in densiora nemora;
Vel illàc in vallem Dianæ, vel hàc retrò ad casulas.
Eheu! quid agam? O pater! cur ominosa narrando somnia,
Moram infœlicem iniecisti mihi? Cur vanis timoribus
In veros me coniecisti? Quibus factum est tædijs,
Admeti ad tumulum tardiùs vt accederem impius.
Atque, ô me infœlicem! postillà quid *Melanthen* amens, & iners
Nondum venisse ratus, deses ibi morabar illam, spiculum
Donec hoc eius non longè proiectum viderim.
At his argumentis, & illam abreptam, & me miserum scio.
Vbi illam quæram? si minùs festino, pereo: si nimis, pereo:
Qui minùs festinat, nihil inuenit; qui nimis, vbi semel
Errauerit, quanto magis festinat, errat magis.
At quid hoc? En vbi nymphæ corolla, en *Melanthes* vbi
Corolla iacet. Beati nuper flores, quis vobis ab illo capite
Diuortium fecit? sed vos miseros dicam, an fœlices magis
Hoc infortunium qui non capitis? aut quod mihi misero
Cum illâ diuortium est, infœlix patior, & sentio penitùs.
At, at! quid video? *Melanthen* ipsam. Heus *Melanthe*, quid agitur?
Hei mihi! nulla respondet: aut dormit, aut--ego--occidi!
At non dormiret tantis in angustijs, tam funesto loco,
Sub hac dirâ votifragorum *Rupe*. Quid ergo cesso miser?
Melanthe, Melanthe! Diemne cerno? dormiòne, an vigilo?
O Lux! ô Sol! ô dies cur non extinguimini protinùs!
An scelus hoc sustinetis? *Melanthe* pallet, friget, tacet.
Verùm fortasse non est hæc *Melanthe* mea, sed alia
Nympharum quæpiam. Quæcunque sit, formosa est nimis.

Quid itaq; hanc Rosam è spinis non extraho?
Ah *Melanthe! Melanthe* mea! Ego sum *Alcinus* tuus;
Quid me non alloqueris? Tardus veni, fateor;
Sed, vt te sic videam, velox, & citus nimiùm. Ecce vt *eius* caput,
Pulchritudinum caput omnium, motu reclinat non suo.
Stellas oculorum attolle; Stellas nox accendit, aut aperit:
Quæ nox execranda clausit, & extinxit tuas?
Cæterùm quo fato periјsse dicam? Nullius hic laniatus feræ;
Nec ferri vulnus; aut viperæ morsas; non tumor, non cruor, subest.
Omniq; Amorem extra morbo formosa caruit.
An vbi iam diluit mortem inuenit? Hoc, hoc est,
Quo periit vasculum; virus huic inerat paratum scilicet,
Vt nuptias exosas fugeret. Hoc primùm experiar; spiculo
Transfacturus, si quid fati supererit. *Melanthe!* non salutis poculũ,
Sed mortis propinasti mihi: libens accipio: ecce respondeo libens.
Hah! quid? hah! Etiam & iam frigus Lethale sentio.
Si sic pergitur, haud erit opus huius opellâ Spiculi.
Vt subitò membra pererrauit egelidus vapor!
Iam cerebrnm impellit: iam Cordis arcem occupat:
Ecce stupore soluuntur artus horrido. Frustrà tuus
Nos invicem avellere studuit *Palemon* pater.
Vale *Melanthe*; quin salue potiùs. Quod vita negat,
Mors, quæ consociat omnes, nos sponsos faciet.
Iam laxa flectuntur genua: vbi, vbi cadam? dum licet,
Melanthen accumbam propè. Venio, *Melanthe*, venio.
Quod reliquum est huius animæ læta morientis excipe.
Alia sperabam oscula, & amplexus alios:
Sed hæc haud ingrata sunt. Salue *Melanthe*, salue: vale.

SCENA. 4.

LEONISCVS. CERVINVS. ECCHO.

L. St. Heus C*eruine* prodi; prodi inquam; quid ignavus renuis?
C. Ignavus! Non desines ergo malè loqui, priusquàm te desero.
L. Fortis, amice, prudens, quæso prodi. C. Hoc aliud est. ah.
Quorsum autem? L. Dicam vbi prodieris. C. At prius dictum volo
L. Fortasse revixit Nympha. C. Euge! quàm pulchrnm delirium!
L. Quid ni mortem affinxerit subdola? C. Quid tum postea?
L. Dum rediuiua languescit, eam ad me deferemus. C. Hahahe. L. Parum est,
Quid sit factum inuisere. C. Exorasti denuò. En me tibi.
L. Heus *Cervine*, nympha, quam nos credidimus mortuam,
Ecce revixit. C. At non tibi. Annon vides Pastorẽ qui iuxtâ cubat?

L. Si revixit, revixit mihi. Non patiar rivalem. *C.* At priùs
Quid agant, obſeruemus. *L.* Hah. Obdormiunt credo; quieſcunt, & ſilent op-(pidò.
Adibo propiùs. *C. Leoniſce* caue: audax videre nimiùm. *L.* Egon'
Vnum paſtorem metuam? Hui! accede *Cervine* citò, citò. *C.* Cito!
Vel lentè potiùs ad pericula. *L.* Quin propiùs inquam. *C.* Quid vis tibi?
L. Ah! Quàm tu venuſtus es comes? penè iraſcor tibi. Tuam ſententiam
Volo, mortuíne ſint, annon. *C.* Voce illos inprimis excita.
L. Sohohow. *Ecch.* Hovv. *Amb.* Hui! *C.* Vter eorum fuit? *L.* Tentabo iterũ.
Sohohow. *Ech.* Hovv. *L.* Auh nemo fuit, ſed Eccho reſonabilis
Ab illâ rupe vocem reddebat vacuam. *C.* Pro certo habes?
L. Attende: audies. Sohohow. whup. *Ec.* WHVP. *C.* Iam tecum iuxta ſentio.
L. Nunc ergo adeamus. *C.* Si ſpiculo paſtorem confoderes priùs,
Inde liceret audacter. *L.* Oh ignauè! quid vſque metuis?
En vbi eorum arma proiecta reſperguntur. C. Quid reſtat igitur?
L. Dicas volo, num tu item hos victâ defunctos putes. C. Moveas
Illis brachia. Iam capita. Nunc arctiùs digitulos illis comprime.
Mortuos dignoſcas, mortuos. Sed vnde mortem paſtor conſcivit ſibi?
L. Modum quid quæris? factum conſtat: fortè ex eodem vaſculo.
Quid agimus? hanc quoq; ſpem irritam video. C. Eamus properè.
Ne in nos huius homicidij nota relabatur. *P.* Pauliſper mane.
His miſeris, quam poſſumus, ſepulturam demus. C. *Q*uomodo?
L. Intra illud ſepimentum referamus; eſt illic locus avius. C. Placet.
L. Nympham tollamus priùs. *C.* Iam gravior videtur, quàm fuit modò.
L. Nunc Paſtorem. C. Vix auſim illum contingere. *L.* Quid ita?
C. Neſcio quid vultu minari videtur etiam mortuus. *L.* Age. Age.
Quos tibi metus fingis? Nunc reponamus cætera, ſpicula,
Corollas, flores, & hoc vnà infœlix vaſculum meum: quod quia
Nympham peremit hodiè mihi, ſummo habendum eſt odio.
C. Nunc eamus. *L.* Quò lubet. Si poſthàc in nympham incidero,
Vi agam. C. Vi! *L.* Vi. Nimis ad dolum ſumus inertes Satyri.

SCENA. 5.

MLIDORVS.

O Encelade! ſummi contemptor, & perduellis Iovis,
Qui nunc propterea ſub Aetnâ luctari, & niti diceris,
Eſt tuus ille cruciatus gravis, longè ſed impar meo.
Hìc incumbit mihi læſum Dianæ numen, ibi
Sylveriæ inimicitia: hìc voti perfidia, ibi patriæ pernicies.
Hìc Infamię metus, amoris ardor, & vltima deſperatio.
Adhæc vicinum præcipitium: ſed id in bonis numero.
In hoc ſolatium eſt, quod eſſe ſupplicium ſolet.

Quantum ex Aurorâ mutata mihi ſors? tum *Sylveria*
Sponte diem antevertit, vt me ſolicita perquireret.
Nunc me fugit, & ſilet, atque ne iuranti credit mihi:
Et quorſum, aut quò ſe fremebunda proripuit,
Perdiſcere nequeo miſer, aut in coniecturam euadere.

SCENA. 6.

ERMILLA. MELIDORVS.

E. Falala. *M.* Ecce aliud ex alio malum. Eſt & ibi pars ſceleris mei:
Vt ridens incedit *Ermilla!* Non minor impietas,
Falſis quem afficere gaudijs, quàm dolore ſolido.
E. At hic floſculus malè collocatur; ad hunc modum erit aptiùs:
Flos iſte nomen *Ermillæ* referet, at hic *Melidori* mei. Falala.
M. Quid, hanc tam falsâ lætitiâ non libero? *E.* Falala. Sic optimè.
Quàm hæc decebit *Melidori* caput? fa la. *M.* Faciam, faciam.
Egon' ab *Ermillâ* perire dicar? Eiuſve causâ fidem
Fefelliſſe? men' ego aut *Sylveriàm* debitâ priuabo gloriâ?
E. Aha; ô fortunatum hunc mihi locum! Ecce *Melidorus* vbi
Me cantillantem ſubauſcultat: non dabit operam
Fruſtrà; Illum non videre videbor, vt canentem audiat: *Falala. *Hic *Ermill.* cant habet.

SCENA. 7.

SYLVERIA. ERMILLA. MELIDORVS.

S. Cuia vox? Oh *Ermilla!* iam tibi de *Melidoro* tuo
Cantillare licet: ſed hoc gaudium gaudebis haud diù. Sub finem cant. ingreditur *Syl.*
E. *Melidorum* ad ſtuporem adegi cantilenâ meâ. Quin excutiam
Salute datâ. *S.* Ecce etiam *Melidorum:* quid agant
Obſeruandum. *E.* *Melidore,* quid agitur? *M.* Statur, vt vides.
E. Id non rogo. M. Aliud non reſpondeo. *S.* Quàm ſæuiter à principio?
E. Quid eſt? M*elidore*, quid eſt? An ergo diſplicui tibi?
Subrauca iam nuper fui: verùm aliàs placebo doctiùs.
M. Quâ de re loqueris? *E.* Eiah? De cantilenâ, quam audiſti modò.
M. Ego! falleris *Ermilla*: nullam audiui; aut ſi audiuerim,
Aduerti parùm. *S.* Ha! quid hoc? *E.* Sic amas *Ermillam* tuam?
Sic me contemnis? M. Meam! Contemnere non decet, &
Amare non licet. Neutrum eſt; nec te contemno, nec amo quidem.
S. Hoccine credibile eſt? *E.* Sanun' es? M. Non quàm vellē admodùm.
E. Ecaſtor credo: quid? annon amas *Ermillam* tuam? M. Meam!
E. Tuam: cuius amorem tam obnixè petebas hodiè, iam modò.
M. Non petebam. *E.* Non petebas? M. Non petebā, non- *S.* O Cynthia!
E. Proh ſylvarum numina! M*elidore*, M*elidore*, reſpice te.
M. *Ermilla, Ermilla*, ne ſtupeſcas: his ego te miraculis

Libera-

Liberabo. Ego te nec amo, nec amaui vnquam antehàc.
E. Non? M. Non: ſed vocibus ambiguis te luſi. *S.* Quis crederet!
E. Quid ego tibi debebam ludibrij, vt id faceres mihi?
M. Nihil profectò: ſed ſic fuit neceſſitas, & conſilium
Conſultori peſſimum. *E.* At enim--M. Quid enim? Sic fuit:
Et quod fuit, non fuiſſe neſcit. Aliam amo.
Quæ ſit ne roges: hanc enim & tu, & omnes ſcient breui.
S. Non eſt igitur à perfidiâ liberior. *E.* Hanc ego tibi
Corollam concinnabam. M. Vah. mille tricas eiuſmodi:
Quas nuper commutauimus corollas, hem tibi tuam, reddas meam.
E. Non reddam; hanc ego ſeruabo tuæ perfidiæ ſymbolum.
M. Non facies. *E.* Faciam per Deos. M. Vi cogam ni reddas illicò.
M. Hem tibi perfide. M. Fateor; ſed nunquam *Ermilla* tibi.
Ex hac ruptâ, & corruptâ corrollâ, quanti te facio, vide.
S. Ecquid amatorum hoc faceret? *E.* Hoccine M*elidorum* decent?
At ô Dij immortales! cur me ludos factam vndiq;
Decreuiſtis? M. An hinc itura es? *E.* Vt te taleſq; fugiam,
In denſiſſima me conijciam nemora. Perfide, deceptor vale.

SCENA. 8.

SVLVERIA. MELIDORVS.

S. At fortaſſe confinxit iſta, quia me iam priùs viderat.
M. Nimio plus vixit, qui famæ ſuperſtes eſt ſuæ.
Quid itaq; non ſemel pereo, qui ſemper pereo miſer?
Sylveria me votifragum habet; *Ermilla* perfidum, & mox impium
Omnes habituri. S. O veros mentis læſæ ſtimulos!
M. O *Sylveria*! *Sylveria*! *S.* An me fortè vidit? certè nominat.
M. O *Sylveria*! ſic teipſam, ſic ignoras M*elidorum* tuum?
Vt tuis aſſuetum delicijs, & formæ cœleſti tuæ
Ab *Ermillæ* poſſe credas ineſcari ſordibus? Proh Deum!
Citiùs hic noſter Mænalus, & Phrygiæ Dyndimus
Sylvoſa comittent capita, quàm M*elidorus* tuus
Ermillam deperire poterit. oihime! *S.* Hei mihi! quid audio?
Non ſunt hæ voces *Ermillam* amantis. O Diana, vereor
Vt hunc apud *Palemona* tuum ſacerdotem falſi criminis
Inſimulauerim: ſcire libet, prodire volo. M. Quid hic aſto lapis?
Oihimè! *Sylveriam* video. *S.* M*elidore*, iam vides,
Vt vitium in malo conſtat ſibi. Amas, & non amas denuò.
Dúmq; amas, votum corrumpis; poſt id, vbi non amas,
Amantem ludis, aut fallis, aut inconſtantiâ fluctuas:
Quibus delinquitur omnibus: Sic vbicunque ſis, in vitio

Versaris--M. Quid hoc ad me? S. Nempe, quia spatio
Brevissimo, his auribus, & his te animaduerti oculis,
Et *Ermillam* amare, & non amare; ambire, & reijcere.
M. *Ermillam*, inquam, non amo. S. Credo: sed amâsti. M. O *Sylveria*!
An tam vili me putas esse, & communi animo,
Vt *Ermillam* amem; vtque illam tanti faciam,
Pro quâ votum refigam. S. Est ergo votum refixum tibi.
M. Si amando refigi potuit. S. An fateris etiam? M. Fateor.
S. Nec pudet? M. Non pudet eorum, quæ nequibant non fieri.
S. At votum interdixit. M. Amor, votis,& fatis imperat.
Verùm *Sylveria*, ne te mei ignaram diutiùs teneam,
Os mihi, quod occlusit pudor, recludit necessitas.
Amo: ne stupescas; nam me virtus, & forma tua
Ad amorem impulit. Quid mirabunda tollis in cœlum oculos?
Quin potiùs miserere amantis, quod tibi soli cœlum dedit.
Ne me horrescas, ne fugias: si te voti religio territat,
Votum Cynthiæ datum nobis remittere Sacerdos Cynthiæ
Palemon potest. Miserere ergo amantis, & amantem redama;
Si quid vnquam tuus tibi gratus M*elidorus* fuit. Oihime!
S. O M*elidore*! sic vota sumenda, vt eadem ponas, vbi velis?
Sic Deos testes inuocas, vt eos, vbi lubet, ableges denuò?
O M*elidore!* mox, mox senties, quàm hîc frustrà,& serò sapias.
Sed an sola digna tibi visa sum his impudicitijs ego?
Egon' sceleri tanto materia facilis? Hoc castitas,
Hoc meus meruit rigor? Sic Dianam colui? sic colo?
Abi profane; iam nuper Dianæ causâ subirata tibi
Facta sum; at nunc iam inimica tibi fio causâ meâ.
M. An inimica futura es? S. Sum; ero. M. *Melidoro Sylveria*
Inimica! Iam satis, superq; vixi. Inimica *Sylveria*!
Inimica! inimic-- ooh. S. Hei mihi in terram procidit.
Opem etsi religio neget, & neget inimicitia;
Non negabit humanitas. Eheu M*elidore* responde mihi:
Sylveria te vocat; Amare nescio:sed inimica tibi
Non ero. Egon' heu! homicida M*elidori* quondum mei.
Eheu! qualis hæc mortalium insania? stultitia quæ?
Quæ possessa negligimus, eadem amissa plangimus.

SCENA. 9.

MONTANVS, *cum choro Pastorum, & ijdem.*

Mo. Quantum fronti periurium inest? Quis non ex vultu crederet

Fidei

Fidei *Melidorum*, Castitatis, & Probitatis vnicum
Arcadiæ exemplum? S. Heu *Montane!* eheu accurrite
Pastores! *Melidorus* moritur. *Mon.* Vnde? S. A dolore subito.
Mo. Quid cessatis? Succurrite. Mortem etsi optandā nunc dolor daret.
S. Oihime! *Melidore! Melidore! Mont* Quid hoc noui est *Sylveria*?
Modò *Melidorum* incusabas, qui nunc in tuo gremio
Mollis, & lascivus moritur. S. Nemo mollitie moritur.
Sic & morientem fouere, non est lasciuia, sed humanitas.
Mel. Oho! S. Iam respirat. *Mel.* Puhfe! *Mon.* In pedes erigite. *Mel.* Oh *Sylveria!*
S. Quid vis? *Mel.* O *Sylveria*! tune inimica *Melidoro* tuo?
At quis me impellit? Hei mihi! quos video? *Mon.* Hos vides,
Qui te coram *Palemone* reum debemus sistere.
Mel. Nam cuius criminis? *Mon.* Rogas? Nemo vnquam nocens
Crimen ignorat suum. *Mel.* At aliquoties oblivisci potest.
Mo. Nequaquàm. Monitorem intus habet assiduū, conscientiam sceleris,
Quæ vel in somno vigilat. *Mel.* At pro nocente sæpiùs
Arguitur innocens. *Mon.* Leges non iubent innocentem mori.
At vos hunc corripite, constringite, & ad *Palemona*
Hinc mecum ducite. *Mel.* O *Montane*! etiam & tu crudelis mihi?
Mo. Non, non: Culpa tibi tua crudelis est; hæc homini
Tyrannus vnicus: hæc hominem vincit, coercet, necat.
Mel. At me culpæ quis arguit? *Mon.* Coràm mox audies rectiùs.
Mel. An tu *Sylveria*? Siles? Erubescis? Sat habeo.
Maluissem actorem alium. Pro te, qnàm per te mori
Libuisset magis. Sed ignosco tibi; etiam & gratiam habeo.
Nam quid mihi viuendum ampliùs? Displicui *Sylveriæ*;
In Dianam peccaui: Illi in vindictam, huic in victimam
Lætus occumbam. Sic idem amoris finem faciet, & vitæ dies.

SCENA. 4.

SYLVERIA *solus.*

O Diana! An vt te colerem vitam amici prodere
Necesse fuit? Sic leges humanæ diuinis obstrepunt?
(Aiunt) virtutes non esse vnquam contrarias inuicem:
Qui fit, vt in me cum amicitiâ pugnet pietas!
Pugnauit, & pugnat: sed virtutum hæc morte meâ
Pugna dirimenda est. Per me *Melidore* moreris;
Sic iussit Pietas: vt tecum vnà libens moriar,
Iubet Amicitia. Quid aliud vis? Is verè amicus est,
Qui cum pro amico non possit, cum amico moritur.

Finis Actus quarti.

ACTVS

ACTVS. 5.

SCENA. 1.

PALEMON, SERRANVS. *Chorus pastorum. Ch. sacerdotum.* NICANDER!

P. SErrane, nunquid infœlix Iuvenis ad *Rupis* iugum
Perductus adhuc est? *S.* Clivosas per ambages nondum potuit
Rupis summitatem superare. *P.* Si non festinet magis,
Tardiùs hæc sacra peragentur. *S.* Qui ascendit, vt ruat,
Etsi lentè festinet, præproperus est. Sed non diù morabitur.
P. O iuvenum effrænes animos, tam solutos ad malum,
Quàm ad bonum quandoq; vehementes! Eàdem levitate suscipiunt,
Quà posteà deponunt vota--Sed, quem video? *Nicandrum* generum?
N. Maximè: nisi fortè (quod absit) cæcus fueris generum tuum
Vides: nempe *Nicandram* Aristij; qui satis dives est--
Sed tu nosti patrem meum. *P.* Novi, novi: sed vnde tu?
N. E Sylvis vicinis. *P.* Vbi est filia mea? *N.* Nimirùm *Melanthe* tua--
P. Quasi alia mihi sit. Responde. *N.* Scilicet sponsa mea--
P. Futura scilicet. *N.* Auh. at, ita vt occœpi dicere--*P.* Quid?
N. Ignoras istud scilicet. *P.* Quid ais? An tibi nubere negat?
N. Non negat mihi nubere (quod sciam) sed me fugit magnificè.
P. Vbi igitur est? *N.* Quæ? *P.* Filia *Melanthe*. *N.* Auh! de illâ rogas?
Dicam tibi quicquid sciero.--de filiâ tuâ rogas?-- de filiâ?--
P. Dicendum quoties? *N.* An rogas vbi sit? *P.* Maxime!
N. Est--fuit--hum--sanè-nescio. *P.* Quid nescis? *N.* Vbi iam sit, nescio.
P. Nescis? *N.* Nescio. Nec quod respondeam, aliud habeo,
Si esses Flamen, & sacerdos summi Iovis. *P.* Quid an irasci lubet?
N. Quid ergo non credis nescien[illegible]i mihi? Ego tuam filiam
Ab hodierno sacrificio non vidi. Filia tua me fugit,
Et despicatui habet. Eam si convenire licuisset, dixissem ei,
Quàm pater meus dives est, & abundans ovium.
P. Mittas oves. An *Melanthen* à sacrificio non videris?
N. Nusquam sanè. Quæsivi, perquisivi totum hunc exinde diem,
Nec quicquam profeci. *P.* Audin' *Serrane*, in quem incidi infœlix locum?
Melanthe fugit. *S.* Speres meliora. *P.* Cur quæsitum non procurrimus?
S. Ne dixeris. *P.* Quid audio? Vin' me filiam amittere?
Qui gratis filiam amittere potest vnicam, aut habere non meruit,
Aut, quid sit habere, nescit. *S.* Publica privatis anteferenda: Deorum tuis.
P. Ignosce Cynthia. Dixi pater. Indignus hac mitrâ tuâ est, qui tibi

Vt

Vt serviat, sibi non imperat. At quid morantur adeò?

S. Sat citò aderunt. P. At heùs mi gener, vbi tuus est pater?

N. Aristium intelligis? P. An plures habes? N. Dijs gratia, satis is vnus est.
Nam--at quid illo velis? P. Quid id tuâ? Vbi is est?

N. An de patre loqueris? P. Cur hìc (inquam) non adsit, scire velim.

N. An ergo nescis? P. Quid arbitrare? N. Ego nihil arbitror.

P. Quid hoc est, mi gener? Semper aliud respondes, ac rogo.
Rogo, vbi sit pater tuus, & quid agat. N. Nempe pater meus--
Is vbi illum esse oportet, bene novit; & quod agat, habet.
Nam is dives est, & multos greges alit. S. Hahahe.

P. *Serrane*, qualem ego nactus sum generum? O tarditatem incredibilem!
Huius generi me penè pœnitet--S. At ô *Palemon* suspice.

SCENA. 2.

Iidem in scæna, at in rupe MONTANVS, MELIDORVS, SYLVERIA.
Pastores duo, & tres pueri. *Cum cinere, aquâ, vino.*

Mel. Ergonè *Sylveria*, vt me relinquas, non exorabere!
Quid insonti cum reo? Quid hanc famosam innocens
Rupem ascendis? S. Meumne tibi consortium grave est?
Sic olim amicus, sic nunc amator es, vt amicæ tædeat?

Mel. Non; ah! non *Sylveria*. Sed cùm tibi timeo, tum mortem mihi
Tua nunc præsentia graviorem facit. Infrà si subsisteres,
Quàm lætus ad te desilirem? Atquî dum hic manes,
Gravabor vitam simul, & *Sylveriam* relinquere.

S. Iam videas, audiasq; quorsum huc venerim. *Monta.* Quid agis?

Mel. Oihime! quò te? S. Audies. Venerande sacerdos magnæ Deæ,
Te appello. P. Quorsum? S. Leges Arcadiæ, vt hoc expietur scelus,
Vnum in mortem deposcunt caput. P. Rectè; quod &
Morti adiudicatum est. S. O *Palemon!* hoc vnum esto meum.

Mel. Tuum! An vni me non sufficere posse morti putas?
Mortemve totam solus recipere, nisi meas vices
Ipsa compleveris? An potiùs maculatum hunc sanguinem
Non posse placare credis tam castam Deam?

S. Neutrum credo. *Mel.* Quid ergo cupis vltrò mori?

S. Quia tibi nocitura mors, eadem profutura mihi.

Mel. Nam quomodo? S. Tibi dedecori, mihi laudi erit.

Mel. An in morte laudem is quæsitum? S. Nullibi inveniam citiùs.

Mel. Pro nocente mori opprobrium. S. Pro amico decus.

Mel. At nemo malus, amicus. S. Potest esse, qui fuit bonus.

Mel. O *Sylveria*! vicisti pietate, vis & amicitia vincere?

S. Nisi pro te moriar, vtrobiq; palmam perdidi,

Mel. Vbivis faciliùs, quàm in hâc re palmam feres.
An credis invito me, pro me mortem oppetere?
Falleris, *Sylveria*, falleris. An me tam ignavum habes,
Vt non ausim mori? an tam iniquum, vt in ijs, ego
Quæ peccaverim, tu plecterere? Hoc vnum est, quod negem tibi.
S. Hoc vnum est, quod petam. Negas? Ad leges Arcadiæ provoco.
Palemon, divine legum custos. Ego *Sylveria* non *amans*,
Sed *amica Melidori*, pro *Melidoro* me morti voveo.
P. At non licet. *S.* Non licet, de quo leges Arcadiæ cavent?
P. Quid ais? *S.* Vt amicus amicum à morte liberet?
P. Frustrà es. *S.* Hâc lege Mytillus olim Amaryllida
Devicit; qui quia se nymphæ suæ victimam substituit,
Pastor inde fidus audit, & æternùm audiet.
P. Obtinuit olim apud seclum prius; at illa iamdiù
Lex antiquata est. Iusta nempe noluit Arcadiæ Dea,
Pro nocentibus innocentes perire. Summa iniustitia est,
Insontem è medio tolli, superesse reum. *S.* Agedum;
Melidore, vt pro te moriar, tu negas, nec leges ferunt,
Vt tecum moriar prohibebit nemo. Ius vitæ, ac necis meæ
Penes me est. *Mont.* Non est, sed penes Deos, qui vetant
Vitæ depositum abijcere quemquam iniussu suo.
S. Egon' vt vivam, postquàm iam amici vitam prodidi,
Nympharum odium, pastorum fuga, & vulgi fabula?
Mo. Non est virtus vitam odisse: Qui vitæ mala fugit,
Timidè moritur. *S.* Nulla si vos ratio moveat,
Vincat voluntas. Fæmina sum; quia lubet mori, mori lubet.
Mo. Vt benè moriare, patientia, non lubido facit.
S. Iam videte. M*el.* Ah quid moliris? *P.* Cohibete væsanam fæminam.
Atq; asservate. M*ont.* Animosa nimis virgo, quid agitur?
Peccas honestâ mente. Nuper vt esses in Dianam pia,
Huic inimica visa es; nunc vt sis amica, ne sis impia.
S. Ilicet. Vbiq; mors est. Quæ me nunc fugit, occurret alibi.
P. Verùm age M*ontane*: damnatum debitam ad mortem para;
Dum nos hic infrâ laudes potentis Deæ
Pro more cantu celebremus. Mont. M*elidore*. Iam longum tibi
Huic vitæ dicendum est vale. Ergo si quid ardeat
Mens in Extremis eloqui, eloquere, vt inde semper taceas.
Mel. O Diana! tuum violavi numen; sed violati numinis
Omnem in hoc meum refundas iram caput.
Parcas Arcadiæ; nec castiges flagello publico

Culpam

Culpam privatam. O *Sylveria*! mortis meæ ſolamen vnicum,
Ne totus moriar, viue. Et vos ſalutis noſtræ præſides,
Incolumem hanc ſeruate, donec hæc eius abſceſſerit
Aegritudo, vel lenior fuerit. *S.* Abſceſſerit! *Mon.* Tace.
P. Iam ſacra fiunt, tace. Reprimite importunam virginem.
Mo. Tu perge. *Mel.* O *Sylveria,* tuo ſi ſedeat animo,
Mortem occumbere, quò vaga volitabit vmbra mea?
Vbi requieſcet exul anima? Sin ſupervixeris,
Non omnis moriar: ſed anima calenti exuta ſanguine,
Et hac inutili membrorum compage, ad te pura, volitabit, & pia.
Viue igitur. An promittis? Cedò dextram. Quid renuis?
Haud impudicum eſt morientis oſculum. Hæc manus
Os in perpetuum claudat, & dulci tuo nomine
Lingua ſileſcat mihi. O *Sylveria, Sylv--S.* Oihime! *Mon.* St.
Dixiſti? *Mel.* Hum. *Mon.* Iam ſupplex inflectas genua, vittatam exue
Corollam, hìc magnæ ſacrandum Deæ. *N.* O *Serrane,* dic mihi:
An præcipitandus ab illâ *Rupe Melidorus*? *S.* Annon vides?
N. At pater eius *Alteus* hoc ſecurus neſcit: vidi illum nuperè
In valle Dianæ. Quid ſi acceerſam? *S.* Si placet, potes. *N.* Fugio.
Mo. Iam cedò *Cineres* puer. *

* Dum Montanus cineres Melidoro in caput inſpergit, vnus e choro Sacerdotum in proſcenio canit, --
Huic ſuccinit totus chorus in proſcenio,

Potens Arcadiæ Dea Diana;
Vt CINIS *hic tua tepeſcat ira.*
Tuq; ECCHO *noſtras duplicato preces.*

-- Cui alluſi n Rupe tanquam Eccho nonnullas voces reddit.
Cui ſæpe reſpondet vt Eccho alius Chorus e Rupe.

Mo. Iam *Lympham.*

Potens Arcadiæ Dea Diana;
Omnis hàc AQVA *mundetur culpa.*
Tuq; ECCHO *noſtras duplicato preces.*

Mo. Iam *Vinum.*

Potens Arcadiæ Dea Diana;
Gaudium hoc VINO *reddatur nobis.*
Tuq; ECCHO *noſtras duplicato preces.*

Mo. Venerande *Palemon* paratum eſt.
P. O Magna, & Potens Arcadiæ Dea, quæ regione Tauricâ
Iras olim poſuiſti ob huiuſmodi victimas (quia
Magno tibi pretio fuit, vt qui votum præceps ruperat,
Et ipſe præcipitio rumperetur) iras condignas minue:
Et tuos Arcadas pacata reſpice. Qui peccauit, moritur;
Et moriatur. Iam *Montane* triſtia, ſed ſacra Dianæ perage.

SCENA. 3.

MONTANVS, *& ijdem excepto* NICANDRO.

Mo. *Serrane*, quid illud, quod in ſacro ſepimento iacet? *S.* Quid vides?
Mo. Inſpice. *S.* Oihime! *P.* Quid eſt? *S.* Oihime! *P.* Quid palles? quid ſtupes?
Quid muteſcis? loquere. *S.* Eheu! *P.* An lupum vidiſti, vel Meduſæ caput?
Inſpiciendum video mihimet ipſi. *S.* Ah non. *P.* Quid ita non?
S. Quin fugis procul. *P.* Egone? Iubeo mittas. O ſuperi!
Hoc vno plus vixi dies, quàm par fuit. Quid vident oculi
Seniles? *Melanthen* cum paſtore latitantem! ò ſcelus!
O proſtibulum! *S.* Eheu! longè aliter, ac res eſt, accipis.
Rurſus inſpice. O *Alcine*! ô *Melanthe*! ſic adornatis fugam?
Sic in Elida profugitis? *P.* At oh ſacra Deorum numina! O!
S. Amici paſtores, miſeros hos hùc in medium producite. *P.* O!
S. Iam *Alcinum*. *P.* O! *S.* Vos hanc, vos illum quantum licet,
In vitam revocate. *P.* O! *M.* *Serrane* quid faciendum? S. Rogas?
Annon locum hunc alieno cadavere pollutum vides? luſtrandus eſt.
P. O! O! *S.* Infœlix atq; iuvenis ad templum retrò
Ducendus, Vt ſacra luſtretur lymphâ. *Mont.* Age *Melidore*. *Mel.* Oihimè.
Mo. Ah ne Syllabam. *P.* O! *S.* Nihilne ergo vitæ ſupereſt?
P. Eheu! Ecce cum lachrymis vox tandem invenit viam.
Eheu! Sic tu *Melanthe*, & ſic tu *Alcine* iaces?
Non Parthus arcu tremendus, aut Scytha vagus
Vitam eripuit vobis. Facinus agnoſco meum:
Ego vos peremi. Eheu *Melanthe*! maluiſtin' cum *Alcino* mori,
Quàm cum patre viuere? ſic miſeram foues canitiem?
Filia ſic colis patrem? Sic fœminis interdicta placent,
Vt in ea cum periculo, & cum exitio ruant?
O æterna Sylvarum numina! quid in me admiſi ſceleris
Dignum hac orbitate? vt pater ſenex, filiam
Vnicamq; iuvenemq; vitâ prævincam. O malè
Diviſa fatorum ſtamina! At tuo ſi nil adijciam,
De meo ſed detraham. Nam huic infortunio
Non gemitus, non lachrimæ pares: Mors eſt levamen vnicum.
S. Quid mortem cogitas? quin potiùs cauſam exquirito,
Vt ſi in vitam reduci nequeant, authores ſceleris
Supplicio condigno puniantur. Dolorem vindicta minuit.
P. An vim illis factam comperiſtis? *S.* Non. *P.* Tum huius authores necis
Ego, & Amor ſumus. Hanc itaq; mortem morte luam.
S. Hoc vaſculo perijſſe illos oportet, nam huic toxicum

Ineſſe

Ineſſe ſuſpicor. *P.* Quid inde? *S.* Vaſculi dominum
Huius conſcium veriſimile eſt, aut gnarum facinoris.
P. Quiſnam is eſt? *S. Leoniſcus* Satyrus. Hoc illum ſæpiùs
Vſum eſſe vidi. *P.* Certumne? *S.* Ne dubites. Audivi etiam,
Illum non ſemel hæc prope loca conſpectum hodiè.
P. At quid proſunt iſta? quorſum has nugas narras mihi?
S. Dum nos Leoniſcum inquirimus, tu ad templum intereà
Exanimes iſtos deportandos cura: ibi, quid poſſint preces,
Experire. *P.* An prece mors exorabilis? *S.* At exorabiles
Dij, qui morti moderantur. Porrò ſi qua ſpes maneat,
Haud alibi citiùs inveniant ſalutem: ſi nulla, nec alibi
Sepulchrum. *P. Serrane* dolori, & conſilijs me totum trado tuis.
S. Tollite obſecro ſponſos lachrimabiles. Quod vita nequit,
Sæpè mors, ſuo ſed modo, facit. *P.* O ſpes mortalium.
Mendaces, & ineptæ? Sunt ne hæ nuper ſperatæ nuptiæ?
Quàm ſenes imperiti ſumus omnes amoris arbitri?
Ecce pro voluptate, mæror evenit; pro gaudio, lachrimæ;
Pro coniugali, ſponſa feralis; pro thoro, rogus;
Pro thalamo, ſepulchrum. Hoc poſſunt irati cœlites.

SCENA. 4

NICANDER. ALTEVS.

N. Quin propera, propera: Adeò eſtis ſenes tardigradi--
Ecce me; etiam ſaltare iuvat. *A.* Ohho! *N.* Pater meus Ariſtius
Te curſu ſuperaſſet, quamvis is multorum gregum curam gerat.
A. Ohho: pugſe? Vbinam ſunt? oh! Nunquid ſerò acceſſimus?
N. Nempe rectè mones. Nullus hic profectò *Melidorus* adeſt.
Ecquid opera nobis perijt? *A.* Quid? Adoleſcens, an iuvat
In re tantâ ſenem ludos facere? *N.* Eſne tu *Alteus Melidori* pater?
Sumne ego *Nicander* Ariſtij? qui-- *A.* Quid tum? *N.* Tum vera ſunt,
Quæ tibi dixi in viâ veniens omnia. *A.* An præcipitio
Mulctandus mihi filius, nec quiſquam id renuntiaret tamen,
Vt ſaltèm morienti valedicerem? fac leges Arcadiæ
(Quod verum eſt) eodem damnatos ſtatuere puniendos die:
An quis vitâ deceſſurus, extremos vnquam omitteret
Patris amplexus? oſcula extrema? & extremas lachrimas?
N. Quis te vnquam inveniſſet ſub illis recubantem fagis,
Niſi ego *Melanthen* queritans te fortè vidiſſem modò?
Annon credis mihi? *A.* Me nihil hîc videre, cur tibi credam, gaudeo.
N. Officium vltrò oblatum quo ſit nimirum loco, video.
Ego quia tuum filium, nempe *Melidorum*, amo medullitùs,

Huius rei te currebam monitum. An sic rependis gratiam,
Vt non credas mihi? pish. *A.* Noli obsecro excandescere.
N. Non credis? Si sit vnquam prȩcipitandus iterum,
Credes mihi, si dixero. En adest, qui etiam interfuit.
Ab illo quæras.

SCENA. 5.

MONTANVS, *Alt. Nic. & tres Pastores cum thure sale, & aqua.*

M. Quàm hic Arcadiæ lachrimabilis illuxit dies!
Verùm nos, quod nostrum est, exigamus. Nam ad occubitum
Nostræ pertæsus miseriȩ, festinat Sol, cuius ante abitum
Hæc Cynthiæ sacra finienda. *A.* O *Montane*, quid paras?
Nicander iste. *N.* Iste- *A.* Nescio quid triste de *Melidoro* retulit.
N. Iste! Narravi quæ vidi, sed ille non credit mihi.
Summé divitis Aristij filius?--*M.* Altee ad templum propera:
Vbi, quid factum sit, rescisças ipse. *A.* At tu dic potius.
M. Alia me manent. Invisas ipse, nihil respondeo.
A. Abeo igitur. *N.* Ego te comitabor etiam, vt clare sciam,
An quæ dixi vera sint. Nam profectò vix egomet credo mihi.
M. Cedò Thymiaterium, salem cedò, cedò lustralem laticem.
O Diana! castum cuius, & divinum numen casta decent,
Et pura, iam sacer fiat, & purus iste locus, &---

SCENA. 6.

ERMILLA, LEONISCVS, *Sat. & ijdem.*

E. Ohho *Montane*! ò pastores miseræ subvenite. M. Impure Satyre--
L. Annon vides, quibus me tractavit modis? ecce femur mihi
Sagittâ traiecit, & humerum. Amores si nefas consequi,
At vindictam liceat. M. In nymphâ turpe est vtrunq; tibi.
L. At turpe non fuisset, nisi inermis fuissem, & suavis ille meus
Tam ignavus fuisset, socius; sed ille mihi pænas dabit.
M. Quàm Satyrus hic advenit opportunè? *Serranus* illum quæritat.
L. At tu nympha beata es, quȩ me sic eluseris. Vide
Qualia mihi vulnera dedisti· Annon te miseret mei?
Vnum des basium in medicinam mihi. Saltèm vnum. M. Abstine.
Ermilla templum versus confugito. *E.* Non ausim. M. Audacter licet.
Nos hic Satyrum detinebimus, Serranum cis templum convenies.
Iubeas huc quàm primùm acceleret, vt hic reperiat Satyrum.
L. Abijtne nympha? vulnerum meorum morsus iam primus sentio.
O Dyctamnum dictamnum! M. Sine opitulemur. *L.* Oh! *M.* Sine.
L. At ego Dyctamnum volo. *M.* Maneas aliquantū, saxo habeas ilicò.

SCEN.

SCENA. 7.

SERRANVS *cum pastoribus & ijdem.*

S. Hic Satyrum esse dixit nympha iam facta nobis obviam.
Atq; ellum. O *Montane Palemonem* adeas, eiq; nunties,
Nos Satyrum convenisse. Ores dolorem intermitat, huc admigrans oppidò,
Vt filiæ perscrutetur fatum. *M.* Adeste: fugio, fugio.
L. Tu Sacrifice, quid tibi meo cum vasculo! *S.* An tuum hoc?
L. Meum est: Pan olim patri dedit, & pater mihi.
S. Nympham, & Pastorem vitâ privavit hoc vasculum.
L. O Dyctamnum dyctamnum! non est meum, non agnosco: mimimè, mimimè.
S. Vox emissa revocari nescit. Tuum est. *L.* Præ dolore vulnerum.
Incautus impegi. O Dyctamnum, dictamnum! *S.* Quid non evellis arundinē?
L. Periculum est vt maneat ferrum: Dictamnum oportet comedere,
Vt ferrum sponte sequatur, vel sine dolore decidat.
S. Ad vasculum itaq; redi. Cuiusmodi venenum tradidisti miseris?
L. At nulli sunt: quos tu miseros prædicas? *S.* Designasti locum oculis:
Iam scio conscium esse te tam magni sceleris. *L.* Si forem; an ego
Sub legum vestrarum iugo trahendus? *S.* Non id quæritur. Modum
Quo periere, cupimus ediscere, vt intelligamus posteà,
Si qua supersit ijs ad vitam via. *L.* Ecce vbi *Glaucus* pater
Solicitus advenit; ab illo quære. *S.* Etiam & *Palemon* adest: Optimè.

SCENA. 8.

GLAVCVS, PALEMON, CERVINVS *& ijdem.*

G. Progredere *Cervine*: nil metuas: duc me ad filium.
P. Oihimè! *G.* An vulneratum vidisti? *C.* His oculis. *G.* oihimè.
Humanam etsi supra sortem Satyri vivimus, atq; ideò
Mortalium prisca gens nos semideos coluit:
Tamen vita nobis est & mortis, & doloris patiens.
Dictamnum itaq; quod modò carpsimus, para sedulò.
P. Oihimè! *Serrane* quid agimus? *S.* Quâ ratione tibi filia perijt,
Ediscas mox. *P.* Quâ vivat velim, quâ perijt, si perijt,
Parùm refert. *S.* Imò permagni refert. Sine me. *P.* Oihime!
C. En Leoniscum; *G.* Vbi? *C.* Duobus constipatum Pastoribus, vide.
G. O Gnate mi! *L.* O dilecte parens! Dictamni quid habes?
G. Hem tibi. *L.* Adiuva me mi congerro lepidissime.
Suavis tu quidem sodalis es. *G.* Mitte isthæc, medicinę operam dato.
P. At quid hos moramur impuros Satyros? *S.* Quæso mane.
C. An comedisti? *L.* O maledicta nympha! scelerati calami!
G. An sat herbæ devorasti? *C.* Au mane parùm; iam vel sponte effluit.
L. An & ferrum vnà prodijt? *C.* Vide. *L.* Cedò scelestos arundines.

G. Quid in sagittas sæuis? *L.* In sagittatricem sæuirem itidem.
P. Oihime! *Serrane*, quid moras nectimus? *S.* En Satyrum adorior.
Glauce, quo iam nuper desiderio filius tibi tuus fuit,
Eo sunt & alijs eorum liberi parentibus: per hoc te, per tuam
Venerandam obtestamur canitiem-- *G.* Siste; precari desine;
Rem totam *Cervinus* veniens enarrauit ordine.
Heus gnate; Ab Ericinæ fonte aquam petebas. *L.* Maximè:
Ab eo, quem tu dixisti, fontem Ericinæ dictum antiquitùs.
G. Aquam qui biberunt amatores erant. *S.* Supra modum.
P. O vtinam & iam essent, vt posthàc essent coniuges!
G. Num quidquam aquæ in vascdlo superest? *S.* Pol credo dimidium.
G. Quot horæ fluxæ sunt ex quo aquam hauserunt? *L.* Totidem
Quot hîc Satyri sumus. *G.* O, salua res est, tu tamen accurrito;
Aquam illam in os illis infundito. Fuge, vola. *S.* Fugio, volo.
P. O *Glauce!* an quid spei reliquum, vt reuiuiscat filia?
G. Tuane hæc fuit, ô magnæ sacerdos Cynthiæ? *P.* Oihime!
G. Spei quid sit reliquum, audies. Audi. Præses Amoris Venus
In filij quæstione (qui tum, vt aliàs sæpè, matrem fugerat,)
Arcadiam hanc nostram perlustrauit. Hîc montes pedibus,
Et saltus emensa roseis, penè expes, at lassata penitùs,
Ad hunc (sic notum, dictumq; olim) Ericinæ fontem appulit.
Hic vitreo mirificè resota latice, dum pueri conquerens
Nequitias, in pueri scrutinium instaurandum meditatur iter.
Diana, quæ suas inter nymphas Cupidinem præhenderat,
Ad Venerem illum adducit, sed vinctum,& bene ligatum manus.
Rogatq;, vt in diuitum domos, & aulas Principum
Puerum è syluis abducat, & nemorum solitudine.
Mater amoris annuebat læta; sed vt fontis beneficium
Compensaret aliquâ, hac dote fontem donauit, vt *Singuli*
Hanc aquam qui biberent, eius amore protinùs
Exardescerent, qui poculum porrexerat. Hîc irata Cynthia,
Quid agis? (infit) At ego *Moriantur omnes volo,*
Qui illam tum priùs amantes bibunt. *P.* Oihime! *G.* Subiunxit Venus;
Sic mortuis, eadem si infusa, vel affusa lympha fuerit
Bis senas horas infra, vitam reddendam statuo.
P. Quid ais? *An ex epotâ hâc aquâ non amantes amant?* *G.* Maximè.
P. Et *amantes moriuntur?* *G.* Planissimè. *P.* *An sic mortui*
Hac aquâ perfusi reuiuiscunt? *G.* Rem tenes. *P.* Euge ô Venus!
G. Iam *Palemon* hinc speres ad viuos redituram filiam.
L. Cur totam hanc fabulam mihi non prædixti pater?

Quæ

G. Quæ rogabas dixi: nempe vt nymphâ te natum cognoſceres.
Quam olim hæc *Aqua* conciliabat mihi. *L.* Cur tacebas cætera?
G. Iuſſit Diana, modò ne quis grauior caſus incumberet.
P. At vnde hæc conſtant tibi? *G.* His tum fortè interfui.
P. Quid hunc fontem non norimus Arcades? *G.* Iamdudum hunc Cynthia
Demolita eſt. Extabat olim lauacro prænobilis,
Et è viuo ſaxo ſedilibus: nunc muſco, & ſitu deformes vndulæ
Hinc inde ſubnaſcuntur ignorabiles, ſed alicubi puræ tamen.
P. O Dij immortales! hanc mihi ſpem conſeruate integram.

SCENA. 9.

ALTEVS, *& ijdem.*

A. O *Palemon*! ô fœlicis filiæ pater fœlicior! ô primus mortalium
Ex orbo factus pater! *P.* An reuixit *Melanthe* mea?
A. Reuixit. *P.* O Dij! ô Diana! date, vt non emoriar gaudio!
L. Heus ſenex an viuit nympha mea? *A.* Tua? *C.* Hahahe. tua!
L. O me inuenuſtum! non eſt, fateor: ſed ah quàm facilè fuiſſet mea?
G. Tace. *P.* O *Altee*; de tali nuntio quid tibi retribuam?
Aut quid *Glauce* tibi? *A.* Tribuas mihi *Melidorum* meum.
P. Ah *Altee*! leges non ferunt. *A.* Ferunt, & expoſcunt etiam.
Quot argumentis euici Laconem eum eſſe, non Arcadem,
Et propterea legibus Arcadiæ liberum? *P.* An Arcadem
Melidorum eſſe negas? *A.* Nego: namq; expoſitum in Arcadiæ
Confinio vagientem olim repperi; & exinde filij loco habui.
Hoc in templo probare tibi volui; ſed aures tibi dolor occluſerat.
Montano & *Serrano* perſuaſiſſimum feci, qui me nuntium tibi
Præmiſerunt. *P.* Liceat priùs, renatam videre filiam,
Inde, quicquid ſit, beneuolus exaudiam. At vos benigni Satyri
Et tu *Glauce* Pater, filiam cui debeo vnicam,
Adeſte nobis: fiet hac nocte conuiuium, fortaſſe nuptiæ,
Vos etiam voco. *G.* At non venimus. *P.* Non? *G.* Gratiam habeo:
Vulgus Paſtorum pars Satyros horret, pars fugit, pars ſtupet,
Mirantur omnes. *P.* Gratum foret. *G.* Sed parùm conuenit.
P. *Altee* ad templum properemus: *Melanthen* viuam dum video,
Demorior; valete. Properemus *Altee*: Deorum beneficia
Frigidè qui capit, & lentâ manu, peringratus eſt.
L. At heus ſenex, cura reddatur mihi vaſculum. *P.* Curabitur. *L.* Vale.

SCENA. 10.

GLAVCVS, LEONISCVS, CERVINVS, *Satyri.*

G. Quas tu hodie turbas dediſti? *L.* Ego? tuus *Leonuſculus*? hah.
G. Imò tu. *L.* Vnde! quomodo, mi pater? *G.* In hâc nymphâ gnate mi.

Et ab hâc aquâ. *L.* At ô mi genitor, mi pater, dic feriò:
An non tu olim nymphas amâſti? an & nunc non amas etiam?
G. Hoc ætatis! Ah ætas illa iam diu præterijt, præterijt--
L. At ah--ſed amas vſq; paululum; ne paululum pater? ah ne paululum?
C. Hahahe fortaſſe paululùm, ſed id perpaululum eſt. *L.* Quid igitur
Filium hoc nomine reprehendis? *G.* Non reprehendo: laudo potiùs,
Meum agnoſco: ſed te vulneratum nolui. *L.* Parum eſt.
Ex hoc dictamno reualujt humerus, & femur: ſaltare iuuat, heigh.
C. Quid ergo? annon me amas? Ego dictamnum legi, & tibi
Comedendum dedi. *L.* Imò per te ſtetit, vt vulnus acceperim. *C.* Quomodo?
L. Rogas? ſi à tergo nympham oppreſſiſſes, ſicuti iuſſeram,
Huic malo prævenifſes. *C.* Hoſtem à tergo! piſh non virtus, ſed dolus eſt.
Tum fœmina fuit. An credis dolo fœminas vincere?
L. Certè non poſſe vinci credo. Sed dolo doloſas capere, non eſt dolus.
G. Quid inter vos ſermones inutiles ſeritis? redite in gratiam;
Atque nos hinc auferamus; nam ſol penè eſt occidens.
L. Vin' me cum illo in gratiam redire? *G.* Volo. *L.* *Ceruine*, patri meo
Quid debeas, vide; amo te, cedò manum: heigh. *C.* Aequum facis. heigh.
G. Rectè facitis. L. At heus pater, an tu amas tuum *Leoniſculum*? ha!
G. Amo te. *L.* Vin' etiam quà mihi nympha concilietur hâc aquâ
Viam præmonſtrare mihi? *G.* Volo. *C.* Et mihi. *G.* Quantum dabitur.
C. Quantum dabitur! *G.* Certè. Namq; olim facile id fuit,
At (vt ſunt hodie fœminarum mores) factu perdificile eſt.
C. Quamobrem. *G.* Quia vix vnam è mille reperias puberem
Et viro maturam, Cupidinis & amoris expertem fœminam.
E. Quid tum? *L.* Quod tum! hah. Mortuas hæc aqua, non amantes facit,
Quos amantes invenit. Siccine audis hunc Genitorem meum? hah.
Piſh, quando ineptire deſines? *C.* Quando tu mihi malè loqui.
G. Mittite iurgia; atq; eamus. *L.* At tu dic priùs, mi pater, mi genitor,
Nunquid amas tuum *Leoniſculum*? hah. *G.* Dum quod te dignum eſt facis.
Quin abimus inquã. *L.* Saltemus abeuntes. *G.* Piſh. *L.* Fruſtrà non vis. Age.
Sequimini: heigh. *C.* Heigh. *G.* Ab amore ineptire, ſapere eſt.

SCENA. II.

ERMILLA *ſola*.

Dij me! en vbi Satyri: Qualis effulſit hodierna mihi lux?
Quoquò me verto, in aliquod infortunium incido.
Euge! ſaltantes abeunt; ſatin' abiere? Quid hàc, quà cœperam,
Domum non pergo? In templo quæ fiunt, ferre nequeo.
Alcinus Melanthen amplectitur: filiæ periculo
Motus *Palemon* amori ceſſit, & filiæ delectui.

Meli-

Melidorus quia patriâ Lacon, legibus Arcadiæ
Solutus est: & licet is vitam vivit, *Sylveriam* perit.
Ab vtroq; delusa quid faciam? Primò certum est hoc mihi,
Non mori. Egon' ab eorum iniuriâ mihi factâ moriar?
Egon' quia me laudârunt, & basia mihi dederunt, moriar?
At non vera erant basia: In corde falsa, sed in labijs verissima.
Non moriar igitur; sed facit contumelia recens
Vt non feram tam invisum spectaculum: ergo concedam hinc aliquà.

SCENA. 12.

NICANDER, ERMILLA.

N. *Ermilla*, heùs *Ermilla*, quo te? respice. *E.* Tunc eras?
Iubeo salvere sponsum elegantem. Vbi nova nupta tua?
N. Tantilli non facio: tu verò bibe; bibas. *E.* Quid? *N.* Bibas modò.
E. Quorsum? *N.* Bibe obsecro. *E.* Quamobrem? *N.* Bibas solummodò.
E. Annon alius tuam *Melanthen* amplectitur? *N.* Tu modò bibe?
E. An ex illo poculo? *N.* Nempe bibas. *E.* Nempe nolo bibere.
Annon illìc aqua est, quæ *Melanthen* extinxit? *N.* Et quà vixit denuò.
E. Apagè poculum mortiferum. *N.* Eugè poculum Amoriferum.
E. Illud sat scio; hoc nescio. *N.* Nescis, quid factum sit *Sylveria*?
E. Quid? *N.* Annon interfuisti? Ex hoc vasculo amat *Sylveria*.
E. Quem amat? *N.* *Melidorum*. *E.* Quid garris mea Siccitas?
N. Quod verum est. Annon vidisti cùm *Sylveria* sacerdotem accederet?
Quomodo ille nempe *Palemon*, substraxit ei, quod habuit, cingulũ.
Tum illam ter ad sinistram circumrotauit, & ad dextram toties?
E. Quid ais? *N.* Nonne vidisti? *E.* Non: sed plura vidi, quàm volueram.
N. Quomodò? quamobrem? *E.* Tu perge. *N.* Quo, (vt occepi dicere)
Quo facto, *Sylveria* poculum hoc à *Melidoro* capit & bibit,
Et nunc amat. *E.* Quid narras? *N.* Quod omnes clamitant.
E. An ergo *Sylveria* votum revocavit? *N.* Rectè rectè: id est, id fuit.
Et nunc ei amare licet. *E.* Sed an amat? *N.* *Melidorum* amat.
E. Sed vnde constat tibi *Sylveriam* amore captam? *N.* Vidi cum biberet;
Vidi, cùm dextras coniungerent, & cùm dextram eius *Melidorus* retinuit,
Illa nihil aversa permisit amanter. *E.* At quid dixit intereà?
N. Nihil. Sed erubuit, & in terram coniecit oculos. Ego nihil vidi prætereà.
Sed omnes sic illam mutatam mirabantur immanissimè.
Verùm quid hoc ad me? bibas *Ermilla*, si biberes, hoc lepidum foret.
E. Quis tibi vasculum illum tradidit? *N.* *Serranus*, & hoc quod aquæ reliquũ est.
E. Quorsum? *N.* Vt vxorem compararem mihi. Inde, quia te amo plurimùm,
Te præ ceteris in vxorem ducere cupio. Quin bibis igitur.
E. Vin' vnum ergo mihi dicere? *N.* Oh. *E.* Sed seriò? *N.* Ohho, quid est?

E. Verè dicas velim. *N.* Oh dubitasne? *E.* Quot greges alit pater tuus?
N. Dicam. In valle Dianæ tres--*E.* oh tace. *N.* Sub Centauri nemus
Duos-*E.* oh tace. *N.* Ad ripas Ladonis duos, eosq; ovium pinguescentium.
Ad--*E.* oh tace. *N.* Ad---*E.* tace *N.* Annon dives est pater meus Aristius?
E. Imò, imò, & multos greges alit. *N.* Quis? *E.* Nempe Aristius.
N. Au verum dicis; quin bibas. *E.* Cedò vasculum. *N.* Vin' bibere?
E. Cedò. *N.* Quorsum inspectas? effundas aquàm, quæso, cave.
E. Annon hic insunt etiam oves patris tui? *N.* Siccine sapis?
Oves in cucurbitâ? vin' bibere, vel non bibere? tempus fugit.
Et iam à templo hic aderunt, *E.* Qui? *N.* *Palemon*, & reliqui.
Viden' etiam, vt nubes glomerantur? iam iam sperantur pluviæ.
E. Quid eò? *N.* Eò properabunt magis. *E.* Certè non adverti priùs:
Complebitur Oraculi fides, iam postquàm ad vivos redijt
Cum *Alcino Melanthe:* sic enim habuit oraculum.

IMBrem terra bibet, de cœlo quando redibunt
In vitam, vitâ qui caruere suâ.

N. Terra bibet, sed tu non bibes. *E.* Abscedas à me paululùm.
N. Tum tu me fugies, & aquam vnà celestem auferes.
E. Non faciam. *N.* Hum--*E.* Iuro tibi. Est hic divitis Aristij filius;
Me amat; ego si illum amarem contrà, foret is mihi
Paris, & Hector, & Apollo. Amor virtutes aut invenit, aut facit.
Hanc igitur aquam experiar. Certum est. ha! Neminem amo, neminem.
Nicander adesdum. Des hoc mihi in manum vasculum.
N. Libenter. Quid facies? *E.* Videbis. *N.* Per Deos bibit.
O Venus! ô diva venus! Quid agitur? dulcissima, quid agitur?
E. Dicam statim. Certè cor mihi salit, vruntur præcordia.
N. Quid oculos in me traijcis? quid siles? quid gemis?
E. Aut egomet alia mihi, aut tu mihi videris alius.
N. An me amas? *E.* Non odi. *N.* Non me ridebis? *E.* Ego te contumeliâ.
Non dignum deputo. *N.* An liceat ad te accedere? *E.* Ecce non fugio.
N. An licet manum tibi contingere? *E.* Quid eâ vis? *N.* Nempe nihil.
E. Hem tibi, nihil negare possum. *N.* Vin' mihi nubere?
E. Nisi tu mavis aliam vxorem ducere. *N.* Egon'? Profectò-O Venus!
E. Audi; veniunt à templo audi, audi. *N.* Non veniunt: nihil audio. (ordines
E. Fidemne coniugalem das? *N.* Do; iuro etiam insuper. *E.* At nosmet in
Admisceamus. Sanè tam me mutatam penè pudet. Sed tuum est ô Venus!
Tu facis vt hic *Alcino* mihi sit, & *Melidoro* pulchrior.
Sine Amore virtus vitium est, & forma deformitas

SCEN.

SCENA. 13.

In quâ pompa sequens cum triumphali cantico ducitur: cuius--

Viator.

1		2
3		4
5	Cantatores &	6
7	Cytharistæ.	8
9		10
11		12
13		14
15		16
1	Iuvenes pastores.	2
3		4
5		6
Alteus.		Aristius.
Melidorus.		Sylueria.
Nicander.		Ermilla.
Alcinus.		Melanthe.

PALEMON.

1	Pueri seruientes *vestem Palemonis Sacerdotalem diffluentem manibus à terrâ subleuantes.*	2
Montanus		Serranus
1	Pastores *iuvenes Palemonis famuli.*	2

--ad finem, PALEMON *diuino afflatus numine, in hac verba prorumpit.*

Hah! Heus sustinete me aliquis: Diuino me numine
Iam subitò repleri sentio. O Diana! siue tu sis, siue tuus
Apollo frater, seu quis Deorum alius, plenus sum Deo.

Quò rapior? Non eſt hæc *Arcadia:* ſyluas video *Britannicas*,
Et prata, quæ *Chamus* antiquus alluit: *Chamus*
Fidis paſtoribus, doctiſq; Muſis inclytus.
Ad has ſylvas, & hæc prata REX SERENISSIMVS
Olim aduenict, Præſidium Muſarum, & ſyluarum decus:
Qui *Sigebertos* veſtros, & *Aluredos*, *Eduardos* etiam,
Et *Henricos* pietate, atque artium amore ſuperat.
At quid dixi? *Adveniet! Advènit*: IPSVM videre videor.
O fortunati paſtores! HVNC omnes inflexis genibus
Adorate. Ibi floreſcunt ſylvæ vbi Reges Muſæ colunt,
Muſasq; Reges amant. At eheu! quid ſentio?
REGEM ab his ſylvis propè abeuntem præuideo. Paſtores miſeri!
Vt poteſtis, ferte: ſed priùs quàm gratus adſuit, quàm adeſt,
Iam fabulâ peractâ, manibus exprimite. PLAVDITE.

FINIS.

OPVSCVLV[illegible]

belij Iustingensis de institutione pue
rorum, quibus Artibus, & pre-
ceptoribus instituendi &
tradendi sint,
Vna cum Apologia & defensione
poetices contra æmulos.

ITEM.

Opusculum qui auctores legendi sint ad
comparationem eloquentiæ.

Comœdia vel potius dialogus de
optimo studio scholasticorum.

ITEM.

Oratio de vtilitate eloquentiæ, & quæ res
faciat pueros eloquentes.

Apologia & defensio Bebelij contra
aduersarios suos.